



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sol Triplex In Eodem Universo

Hermann, Amand

Sultzbaci, 1676

Pars Introductoria. Tractans Summulas, seu Dialecticas Institutiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95850](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95850)



PROLOGUS

Ad Summulas, seu, Dialecticam.

NON modò in fummis excelsisq; verticibus, sed & in vallibus Sapiaentia clamitat: * *PROV. 2.*
Accipite disciplinam & non pecuniam, doctrinam magis quam aurum eligite: & iterum ancillas mittens ad arcem vocat, si quis parvulus est, veniat ad me, comedite panem meum & bibite vinum quod miscui vobis, quoniam fructus meus melior est auro & omni lapide pretioso. Veruntamen quia cibus hic, cibus est profectorum, potusq; potens nimium & inebriare faciens, hinc Domũ sapientiæ ingressuris (incipientibus) in Antelimiribus subsistendum est, lacq; concupiscendum, aut mel comedendum, maximè lacte Melliflui Doctoris filiolis, ut discant discernere bonum & malum, nam natura hoc ipsum docuit quoq; à facilioribus semper sumendum principium; Quare etiam laudatissimam secutus consuetudinem, Rationalis scientiæ, totiusq; ad eò Philosophici Cursus initium facio, ubi ad Rationes obligati faciunt finem in *Summa*, sed *Summularum*, sed *Institutionum Dialecticarum*, quam materiam alii aut Introductionem, aut parvam Logicam, vel aliis compellant Encomiis; Aristoteles verò Organum dicit, forsan ne sapientiæ Convivium inconditum appareat sine musica; Hoc Organum pro objecto habet syllogismum, cujus partes sunt materia & forma, hæc ex terminis, propositionibus, modoq; & figura constituitur, illa, vel est de necessariis, vel contingentibus, aut falsis, vel sophisticis, de quibus omnibus laconicè non tam disputando quam explicando pertractabo in prima parte, cujus utilitas summa est, nam ut ligatè dicam: *Tradit, propugnat, sustentat, roborat, armat, Instruit in veris, in falsis ne ullus aberret.*

Sit igitur

PARS INTRODUCTORIA.

Tractans Summulas, seu, Dialecticas

Institutiones.

In hac parte ea omnia tradam quæ aliquo modo conducibili a judicari possunt ad perfectam Syllogismi consuetudinem, sive ea se tenuerint ex parte materie prout est necessitas, contingentia & falsitas, seu ex parte forma, qualis censentur esse termini, propositiones, & modus ac figura. Itaq; in Dei nomine sit.

A

DISPU-

F. Amandi Hermann Logica.

DISPUTATIO I. DE TERMINIS.

Natura & doctrina ordo requirit ut ad perfectiora ab imperfectioribus fiat progressus, & à facilioribus ad difficiliora fiat motus, hinc cum omnis doctrina qua ratione comparatur fiat differendo, quatenus ex nota ignotum deducitur, differere verò nequit nemo nisi per voces qua propositiones constituunt, unde eas in hac examinatione disputatione. Sit ergo.

I. QUÆSTIO I.

Quid sit Terminus?

Varia est terminorum acceptatio ut patet tam ex profanis quam sacris litteris, in quibus tamen sensibus ad propositum nostrum non deserviunt, ut est illud 14. *Jobi posuisti terminos ejus qui præteriri non poterunt*, & alibi passim, ut verò ad præsentem quæstionem pertinet, Authores inter se discrepant, aliqui enim terminum nomine dictionis significare volunt, eò quòd nomen terminus apud Dialecticos idem sonet quod apud Grammaticos dictio, & quia quicumq; alicujus facultatis elementorum notitiam habet, is terminorum notitiam in eadem facultate habere dicitur. Alii Authores per terminum intelligunt omne illud quod in propositione esse potest, & hi quamvis satis Aristotelicè loquantur, sensus tamen nimis largus est, quia sic comprehenderet non modò prædicatum & subjectum, verum etiam copulam, nomen verbum, signa universalis omnis, nullus, aliquis, adjectiva, adverbia, &c. Attendendo tamen significationem vocabuli magis propriam & vim ejus, id importat quod est extremum alicujus rei, unde propriè & prout ab Aristotele sumitur, significat terminum extremum terminans propositionem, in qua acceptio terminum definitio & ad quæstionem.

multiplex terminus acceptio.

II.
describitur terminus.

Dico. Terminum esse illum in quem resolvitur propositio, ut prædicatum & de quo prædicatur. Ita Aristoteles in terminis. I. Peri I. Habetq; hunc sensum quòd terminus sit illud quod potest esse subjectum vel prædicatum in propositione. Prob. Conclusio. Quia omne illud per hoc definitur benè per quod ejus natura explicatur, sed per datam definitionem explicatur benè natura ergo est bona.

III.
debet esse immediata resolutio.

Incontra Arguitur I. Propositio benè resolvitur in litteras & syllabas, sed hæ non sunt termini, ergò malè definitur terminus quod sit id in quod resolvitur propositio. R. dist. ma. Propositio resolvitur in litteras & syllabas immediatè nego majorem: mediatè concedo, & concessa mi. negatur consequentia, quia non est sermo in conclusione de quacunq; resolutione, sed de resolutione immediatè eaq; tanquam in subjectum & prædicatum.

una propositio in aliam resolvitur potest.

Instatur. Propositio hypothetica immediatè resolvitur in propositiones simplices & mediatè in terminos ergò, nulla solutio, de resolutione immediata vel mediata. R. distinguendo ant. tanquam in alias propositiones nego, tanquam in terminos concedo ant. & nego consequentiam.

Urgetur. Sequeretur hinc propositio nem esse terminum, sed hoc est inconveniens

ergò, probatur sequela quia secundum nos illud est terminus in quod resolvitur propositio, sed ex data responsione propositio hypothetica resolvitur in propositiones simplices velut in terminos, ergò propositiones simplices sunt termini; R. dist. sequelam, sequeretur propositionem esse terminum sub ratione formali propositionis nego, quatenus simpliciter ut aliquod complexum consideratur, concedo sequelam, nec hoc est ullum inconveniens, quod propositio simplex in hypothetica teneat rationem subjecti, quia benè potest aliquod totum in se esse pars respectu alterius totius, ut patet in physicis, de corpore respectu totius hominis, & aliis pluribus.

quomodo una propositio possit esse alterius terminus.

Arguitur 2. Propositio benè resolvitur in copulam verbalem, ergò copula verbalis erit terminus. prob. ant. Quia benè aliquid resolvitur in ea ex quibus constat, sed propositio constat tam benè ex copula quam ex prædicato & subjecto, ergò tam benè in copulam resolvitur, consequenter erit terminus. R. dist. resolvitur in copulam verbalem tanquam in prædicatum & subjectum nego ant. tanquam in formalem unionem extremorum concedo ant: & nego consequentiam, Verbum itaq; Est, vel illa copula verbalis, non manet resoluta propositione sub ratione priori, seu ut ait Aristoteles. I. Peri 3. intelligi tunc non potest, adeoq; cum pars propositionis non sit, in eam tanquam in partem resolvì non potest, consequenter terminus non erit.

IV.

Propositio resolvitur in copulam verbalem in unionem non vero ut in subjectum.

Instatur. Est verbum potest esse prædicatum, vel subjectum propositionis, ergò talis propositio potest resolvì in copulam verbalem tanquam in prædicatum vel subjectum. prob. ant. Quia hæc est vera propositio Est est copula verbalis, & copula verbalis est Est ergò. R. dist. ant. si formalitèr sumatur negatur ant. si materialitèr concedo, & similitèr dist. conseq. & nego consequentiam, Itaq; materialitèr sumendo non modo tò Est verum & quacunq; alia vox etiam non significativa ut Bliceri, Buff, Baff & familia subjectum vel prædicatum esse possunt, prout etiam omnia adverbia & nomina quantitativa & adjectiva, &c.

ly est potest subjectum propositiois pro materialis.

Urgetur. In propositione de secundo adjacente ut sunt *Petrus studet, Paulus ambulat*, propositio resolvitur in verba non modò, ut materialitèr sumuntur, sed etiam ut formalitèr per modum prædicati ergò nulla solutio. R. dist. ant. Resolvitur in verba tanquam in terminos in quantum gerunt vices copulae nego, in quantum gerunt vices prædicati concedo ant. & nego consequentiam. Itaque in his & similibus propositionibus semper sensus est *Petrus est studens, Paulus est ambulans*; Et licet dicere quis possit

quomodo resolvatur propositio de secundo adjacente.

posset in hac propositione *Currere est moveri*, ly moveri habere rationem praedicatorum, adeoque formaliter propositionem in verba resolvi, nihil tamen urget, in similibus enim propositionibus verba quidem verba sunt, sed grammaticaliter, apud logicos tamen æquivalent terminis *motus* & *cursum*, unde idem erit sensus ac si quis diceret, *cursum est motus*.

QUAESTIO II.

De multiplicitate & divisione terminorum.

I. Terminorum. Divisio considerari

potest vel ex parte ipsiusmet significacionis vocis, vel ex modo significandi, vel ex parte rei significatae, de quibus omnibus in praesentiarum. Itaque ex primo capite terminus dividitur in *mentalem*, *vocalem* & *scripturam*: *mentalis* est, qui potest esse praedicatum vel subiectum propositionis mentalis; *vocalis*, qui propositionis vocalis, & *scripturae*, qui scriptae, sed

II. Incontra Arguitur. Propositio

mentalis est una simplex qualitas carens partibus, ergo propositio mentalis non habet partes, vel terminos in quos resolvatur & consequenter nullus dabitur terminus mentalis, sed *ly*, dist. ant. propositio mentalis est una simplex qualitas, formalis concedo: *objectiva nego*; dist. etiam consequens, ergo non habet partes in esse suo formali concedo, in esse *objectivo nego*; Itaque propositio mentalis dicitur habere terminos & extrema, quia in se continet subiectum & praedicatum, constituta in esse talium per propositionem formalem.

III. Secundo. Dividitur in significativum

& non significativum: primus est qui ex institutione hominis vel Dei aliquid significat: ut est, vox *Homo*, quae significat naturam humanam: secundus est qui ex institutione aliqua non habet ut aliquid significet, quales sunt voces *hūmāni, hūmāni, hūmāni*, &c.

IV. Tertio. Dividitur terminus in *Categoriam*

& *Syntheticam*: Ille (qui & latine per se significativus dicitur) est qui ita per se significat aliquid ut se solo in propositione subiectum, vel praedicatum esse possit, ut *homo, leo, &c.* & omnia nomina substantiva. Terminus *Syntheticus* (qui latine con-significativus dicitur) est qui non ita per se significat aliquid ut se solo subiectum vel praedicatum in propositione esse possit, sed conjunctus alteri, ut *omnis, nullus*, & universim omnia adjectiva, sed Contra.

V. Arguitur. Nomina adjectiva se solis

possunt esse praedicata in propositione, verbi gratia, in hac: *Homo est albus*, ly *Albus* est praedicatum, sed *albus* est secundum nos terminus *Syntheticus*, qui se solo non potest esse subiectum vel praedicatum in aliqua propositione. *ly* negando *ma*. nam illa propositio sic intelligi debet, *Homo est habens albedinem*, & sic terminus *Albus* non se solo, sed conjunctus cum alio aliquid significat, unde secundum Tartareum terminus *Syntheticus* non significat aliquid, sed aequaliter, quatenus si adiungatur categoriam, modificat ejus

F. Amandi Hermann Logica.

significationem, & facit eam taliter significare, id est, vel reddit eam universalem, vel particularem, vel affirmativam, vel negativam, adeoque rem praesentat ut ejus modus.

Categoriam Terminus sub-

dividitur in *simplicem* seu *incomplexum* & *compositum*, seu *complexum*: *Simplicem* communiter appellant qui non constat ex pluribus dictionibus, sed est una sola vox; ut *Petrus, Paulus*: *Compositum* seu *complexum* qui ex pluribus dictionibus componitur, ut *Homo justus, equus albus*, &c. verum hæc explicatio nimis grammaticalis est, quare post Tartareum melius videtur dicendum, Terminum *complexum* esse illum qui subordinatur conceptui *complexo*, & qui subordinatur conceptui *incomplexo* terminum esse *incomplexum*, sive ex pluribus dictionibus constet, seu non. Unde *Marcus Tullius Cicero*, licet plures sint voces, unum tantum in mente generant conceptum, e contra, nemo, amo, termini *complexi* sunt, quia generant hunc *complexum* conceptum nullus homo, sum amans, imò si littera *A* imponeretur ad significandum hominem currere vel studere, *A* esset terminus *complexus*.

Terminus *incomplexus* subdividi-

tur iterum in terminum *infinite* & *finite*, seu in terminum *infinite* & *finite*, primus est qui aliquam rem certam & determinatam significat, ut *homo, lapis*: terminus *infinite* est, qui nihil determinate significat, bene tamen determinate aliquid negat, sitque praeposita particula *negativa Non*, quae malignantis naturae est, totum negans quidquid post se reperit, negat id quod exprimit, ut *Non lapis, non homo*, &c. dicitur autem *infinite*, quia non cadit super copulam, sed super id quod exprimit, & consequenter non facit propositionem negativam, imò de omnibus praedicari potest, praeterquam quod supponit & afficit.

Ex modo significandi terminus divi-

ditur primo in *concretum* & *abstractum*, *Concretum* est, qui significat aliquid, ut in alio existens, sive ut suppositum propriae naturae, vel ut subiectum, ut *homo & albus*, quia *homo* significat humanitatem in aliquo supposito indeterminate existentem, *albus* significat albedinem alicui subiecto inhaerentem, unde hic terminus *compositum* habet significandi modum, sive *substantialem*, sive *accidentalem*. E contra terminus *abstractus* *simplicem* habet significandi modum, quia significat formam ut *abstractam* à supposito vel subiecto quasi per se existentem & stantem, ut *humanitas* solam significat naturam humanam, quasi per se coherentem extra supposita humana, albedo solam albedinem quasi per se existentem extra subiectum.

Secundo. In *Absolutum* & *connotativum*

seu *relativum*, quos aliqui explicant sicut superius *concretum* & *abstractum* per modum adjectivis & per se existentis, verum cum illis confundendi non sunt, unde aliter explicandus est terminus *absolutus*, quod scilicet sit ille, qui ut perfecte intelligatur nihil extraneum secundario requirit, seu qui nihil aliud ut perfectus evadat respiciat per genus & differentiam, &

A 2

VI.
quid sit terminus simplicis & quid compositum.

VII,
quid sit terminus infinite & finite.

VIII.
terminus concretus & terminus abstractus.

IX.
terminus absolutus & terminus connotativus.

tales

tales sunt bos, homo, & concreta de prædicamento substantiæ. Nam licet concernant suppositum naturæ, tamen quia cum eo non faciunt unum per accidens, idè per illam vocem totum compositum ex æquo importatur, & non unum in recto & alterum in obliquo & secundario. Econtra terminus connotativus est, qui ultra principale significatum & in recto aliquid aliud indicat, & in obliquo, ita ut sine illo quod indicat perfectus evadere non possit conceptus & quæstivus, sic Pater connotat filium, accedens substantiam, materia formam, quatenus hæc omnia sine respectu ad aliud perfectè intelligi nequeunt.

X. Tertio Dividitur in denominantem & denominatum, seu denominativum, quæ divisio grammaticalitèr explicatur ut denominans sit à quo denominatus derivatur, ut iustus à justitia, albus ab albedine, &c. Logicalitèr verò denominativa dicuntur ea nomina concreta quæ à suis abstractis differunt in modo significandi, qui est significare per modum adjacentis, & secundum illud nomen adjectivum habent virtutem denominandi id est denominativè prædicandi de subiecto, & talia sunt omnia concreta accidentalia, substantiale verò solum, quando nomine significatur adjectivo.

XI. In ordine Ad res significatas terminus dividitur primò in communem & singularem. Communis est qui aliquid significat quod ita pluribus voce & significatione convenit quod etiam conveniat singulis. ut homo convenit omnibus hominibus & singulis: singularis est, qui unam rem tantum singularem significat, vel plura per modum unius: Communis subdividitur in transcendentem & non transcendentem, seu limitatum. Transcendens est, qui convenit omnibus rebus cujuscunquæ prædicamenti, & hujusmodi sunt sex in hac voce REVBAV significati, ubi prima littera significat Rem, secunda Ens, tertia Unum, quarta Bonum, quinta Aliquid, sexta Verum; quæ de omnibus omnia prædicari possunt; non transcendens est, qui licet communis sit, tamen sic de omnibus prædicari non potest, ut Animal prædicari potest de homine & bruto, non tamen de lapide. Singularis verò subdividitur in Determinatum, collectivum, & vagum: Determinatum est qui per proprium nomen, vel per commune cum pronome demonstrativo rem ipsam singularem determinatè significat, ut Petrus, hic homo, ille homo: Vagum qui rem singularem indeterminatè significat nempe mediante termino communi & signo particulari ut quidam homo: Collectivus verò qui de pluribus, sed copulativè sumptis dicitur: ut Populum Romanum, Exercitus, &c. Sed in contra

terminus denominans & denominatus.

terminus communis & singularis.

communis dividitur in transcendentem & non transcendentem.

singularis in determinatum, vagum & collectivum.

quomodo Petrus & Civitas dici possit terminus communis?

communis qui pluribus convenit etiam seorsim sumptis.

Instatur. Nomen Civitas & Senatus non tantum prædicatur de pluribus copulativè sumptis sed etiam de pluribus sumptis seorsim, ergo adhuc non erit terminus singularis, probant. quia prædicatur de hac & illa Civitate hoc & illo Senatu, ergo, R. dist. erit terminus communis sed prædicatur de pluribus seorsim sumptis si fiat prædicatio de hac & illa Civitate hoc & illo Senatu concedo ant. si prædicetur de hominibus in hac Civitate in hoc Senatu comprehendis & contentis nego ant. & conseq.

Terminus communis Rursum subdividitur in univocum, equivocum & analogum; Univocum est, cujus commune est nomen, & ratio significata per nomen omninò eadem: ut homo respectu Petri & Pauli, &c. equivocum est, cujus nomen est commune, ratio verò per nomen significata omninò diversa, ut Canis dicitur de animali latrabili, de fydere, & de pisce, in quibus ratio per omnia est diversa, nam licet Canis marinus & terrestris conveniant in ratione Animalis, non tamen conveniunt in ratione & definitione Canis, & in quantum signum est cælestis in nullo conveniunt præterquam in ratione Entis.

Terminus Analogus est, cujus nomen est commune, ratio verò significata per illud nequè omninò eadem, nequè omninò diversa: ut sanum, qui terminus dici potest de animali & medicina, aliquo modo sub eadem ratione sanitatis, diverso tamen modo, nam sanitas inest animali absolute & formaliter, in medicina verò secundum quid & causativè.

Iterum. Dividitur terminus, in terminum primæ & secundæ intentionis, terminus primæ intentionis est ille, qui impositus est ad significandas res, ut sunt in se independentes ab operatione intellectus, ut Animal, homo, &c. Terminus secundæ intentionis est ille, qui impositus est ad significandas res sub aliquo prædicato rationis, quo non afficiuntur nisi negotiante intellectu, ut genus & species, quod enim dicatur animal genus, & homo species, hoc totum procedit ab opere intellectus.

Deniq; Terminus univocum communis in quantum concipitur sub secundâ intentione dividitur adhuc in quinque species, quæ vulgò quinque prædicabilia appellantur, & sunt genus, species, differentia, proprium & accidens, de quibus in Logica sicut etiam de Prædicamentorum classibus.

QUÆSTIO III.

De Terminorum affectionibus seu proprietatibus.

Cognita Terminorum essentia & explicatis multiplicibus divisionibus, hic eorum affectiones & proprietates explicandas assumo, solent autem communiter septem assignari, videlicet, Suppositio, Ampliatio, Status, Restrictio, Alienatio, diminutio & applicatio.

Suppositio ex vi nominis significat idem quod unius pro alio positio, nam cum termini pluram

XIII.

terminus communis dividitur in univocum & analogum.

XIV.

terminus communis dividitur in univocum & analogum.

XV.

quid sit terminus primæ & secundæ intentionis?

XVI.

quid sit terminus primæ & secundæ intentionis?

XVII.

dividitur in s. univocum & analogum.

XVIII.

quid sit terminus primæ & secundæ intentionis?

XIX.

post essentiam explicatur proprietas terminorum.

XX.

quid sit suppositio?

plura significant, ut terminus Homo immediate significat naturam humanam, mediate vero Petrum & Paulum, imò etiam seipsam, quilibet terminus & qualibet vox nata est se representare, ideo varia eius significatio in propositione determinari solet mediante prædicato aut copula, & tunc dicuntur pro hoc & illo supponere, unde communiter describitur quòd suppositio sit acceptio termini pro se vel suo significato, sic in hac propositione *Homo est vox bisyllaba*, terminus homo accipitur pro se seu pro ipsis syllabis, in hac verò propositione *Homo est animal rationale* pro suo significato accipitur, propter quod prima suppositio dicitur *materialis*; altera dicitur *formalis*, hinc non valet consequentia *Homo est vox bisyllaba, Bernardus est homo, ergo Bernardus est vox bisyllaba*, nam arguitur à suppositione materiali ad formalem.

Formalis suppositio subdividitur in propriam & impropriam; Propria est acceptio termini pro re ad quam significandam fuit instituta, ut *homo, leo, lapis*, naturam humanam, leoninam, & lapidis, &c. Improperia est acceptio termini pro re ad quam significandam instituta non fuit, significat tamen rem per translationem metaphoricam, sic dicitur in sacra pagina *Vicit Leo de Tribu Juda: Ubi Leo* sumitur pro Christo, qui metaphoricè *Leo* significatur propter quandam similitudinem fortitudinis & generositatis.

Propria subdividitur in communem & est acceptio termini communis pro suo significato, vel significatis, ut *Omnis homo est animal*; & singularem seu discretam, & est acceptio termini pro una re singulari tantum, hoc modo supponit omnis terminus singularis, ut *Petrus, Paulus, &c.* & terminus communis affectus signo demonstrativo per quod determinatur ut *hic homo*.

Communis subdividitur in simplicem & personalem: Suppositio simplex est acceptio termini communis prout abstrahit à suis inferioribus: & hinc etiam dicitur præcisa, talis suppositio est dum dicitur, *homo est species*: Suppositio personalis est acceptio termini pro singularibus sub sua natura contentis communi, sic homo accipitur pro *Petro, Paulo, Joanne &c.* unde non bene quis argumentaretur ex suppositione simplici ad personalem, quia hæc consequentia nulla est, *Homo est species, Petrus est homo, ergo Petrus est species*, nam Petrus non est species, sed individuū speciei.

Suppositio personalis etiam subdividitur dupliciter, primò in naturalem, & accidentalem; Naturalis est acceptio termini communis pro omnibus suis significatis, sine ulla temporis differentia, tam pro tempore præterito, præsentis & futuro, sic supponitur suppositione naturali *Homo est animal rationale*, ubi homo supponit pro omnibus hominibus, qui unquam fuerunt, sunt, erunt, vel esse possunt: Accidentalis est acceptio termini communis pro suis significatis non quidem pro omnibus omnino, sed cum aliqua restrictione, ut dum dico *Omnis homo hac die occupat locum*, supponitur tantum pro omnibus hominibus qui hodie existunt. Secundò in distributivam, copulativam determinatam & confu-

sam: suppositio distributiva est acceptio termini communis pro omnibus sub se contentis, ita ut de quolibet seorsim prædicari possit, ut dum dicitur *homo currit*, ubi supponitur quod *Petrus currat, Paulus currat, &c.* Suppositio copulativa, est acceptio termini communis pro omnibus significatis sub se collectivè sumptis; ita ut de omnibus simul sumptis prædicari possit, ut dum dicimus *omnes Apostoli sunt duodecim, Evangelistæ sunt quatuor*, ex quo non licet inferre *Petrus est Apostolus, ergo est duodecim, Joannes est Evangelista, ergo est quatuor*. Suppositio determinata, quæ & disjunctiva appellatur, est acceptio termini communis pro suis inferioribus disjunctivè sumptis, ita tamen ut à Deo, vel cognoscente omnia inferiora cum suis accidentibus aliquod inferius determinatè cognosci possit, quod nam sit illud pro quo ex omnibus disjunctivè sumptis supponitur, ut in hac propositione *Aliquis homo studet*, ex qua inferimus ergò vel *Petrus studet*, vel *Paulus*, vel *Joannes, &c.* ita ut aliquis singula individua cognoscens dicere determinatè possit, *hic studet*. Suppositio confusa, est acceptio termini communis pro aliquo ex suis inferioribus ita tamen indeterminate, ut à nullo, pro quo determinatè supponat, sciri possit, ut verbi gratia *aliquis oculus est necessarius ad videndum, aliquis calamus necessarius ad scribendum*, ex quo non licet inferre, ergò *dexter oculus est necessarius, ergo calamus B. est necessarius* cum tam bene sinister oculus sit necessarius quàm dexter, tam bene calamus A. quàm B.

secundo in distributivam copulativam determinatam & confusam.

Suppositio distributiva adhuc subdividitur in suppositionem pro singulis generum, generibus singulorum & accommodam: Suppositio pro singulis generum est acceptio termini communis pro singulis sub eo contentis ut cum dicitur *Omne animal est vivens*, ubi supponitur pro omnibus animalibus: Suppositio pro generibus singulorum est acceptio termini communis non pro singulis individuis sub genere contentis, sed tantum pro omnibus speciebus sub illo contentis, verbi gratia, *Omne animal fuit in arca Noe*, intellige propositionem non absolutè, sed secundum quid, nam pisces animalia sunt, in Arca tamen non fuerunt. Suppositio accommodata est acceptio termini communis pro omnibus inferioribus, exceptis tamen aliquibus quæ ex ipsa natura propositionis aut proferentis intentione excipi debent, ut in hac propositione *Calum tegit omnia*, excipitur ex ipsa natura ipsum Cælum quod se ipsum non tegit, & in hac propositione *Omnes in Adam peccaverunt*, quæ propositio vera est secundum suppositionem accommodam, non verò distributivam quia excipitur Christus Dominus, & ut pietissimum est credere Beata ejus Virgo Mater; & secundum hanc distributionem accommodam explicat D. Aug. lib. 4. contra Julianum cap. 8. illud D. Pauli 1. Tim. 2. *Deus vult omnes homines salvos fieri* etiam de voluntate efficaci, id est, vult omnes homines salvos fieri id est illos quos vult.

VII. Suppositio distributiva dividitur in eam, quæ est pro singulis generum & accommodam.

VIII.

Pro Complemento Suppositio nis & majori notitia distributiva, Notandum est tunc in illa terminum sumi distributivè, quando ei immediate præponitur signum universale, verbi gratia *Omnis, nullus, idq;* non impeditum nec copulativè sumptum. Dico immediate, quia

IX. quid requiratur ut aliquid dignoscatur sumi distributivè.

quia in hac propositione *Omnia animalia sunt homines* animal solum distributive sumitur subiectum homo, cui immediate signum preponitur, non vero predicatum *Animal*, quia alias propositio esset falsa, supponeret enim quod omnia animalia sunt homines quod est falsum. Item in hac propositione *Homo est animal* omne non sumitur ullus terminus distributive, quia signum universale est impeditum: Nec in ista, *Omnia Elementa sunt quatuor*, quia signum copulative accipitur.

X. quid sit ampliatio?

Secunda Proprietas & Affectio termini est *Ampliatio*, quae est acceptio termini ad significandum rem secundum plures & alias temporis differentias, quam per copulam verbalem principalem propositionis importetur ut *Sancti Deum videbunt*, Caeci vident, ubi terminus *Sancti* extenditur ad omnes Sanctos, qui sunt, fuerunt & erunt, cum tamen per verbum *videbunt* solum significetur tempus futurum: in altera propositione vero sumitur terminus *Caeci* non pro illis qui actu tales sunt, sed qui fuerunt.

XI. Explicatur Status.

Status Tertia Affectio Est acceptio termini pro suo significato pro sola illa temporis differentia quae per copulam verbalem importatur, ut *jacens dormit*, *ly jacens* dicitur habere statum quia sumitur pro tempore determinato scilicet praesenti quod verbum importat, dormit, ut autem cognoscatur quando aliquid dicatur habere statum, haec regula notanda est. Quod scilicet quandocumque predicatum aliquid nequit convenire subiecto nisi praesupposita existentia ipsius, tunc tale subiectum dicitur habere statum, verbi gratia *homo est albus*, quia albedo nequit convenire nisi homini existenti, ideo propositio haec dicitur habere statum.

XII. Restrictio.

Restrictio Est coarctatio termini a majori significatione ad minorem quam ex natura sua verbum erat natum significare: ut *Omnia animalia sunt homines* ubi *ly Iustus* restringit propositionem, quae alioquin videbatur universaliter asserere hominem placere Deo. Maius dicit valere consequentiam a termino restricto ad amplum, videtur tamen falsum, nam certum est omnem hominem iustum placere Deo, falsum tamen omnem hominem placere Deo, nam impius & impietas eius odibilis Deo est.

XIII. Diminutio.

Diminutio Affinis *Restrictioni*, est limitatio termini virtute alicujus particulae in propositione positae, ut inde ita limitetur ut absolute non sumatur, ut exempli gratia: *Petrus est doctissimus in grammatica*, *Aethiops est albus secundum dentes*.

XIV. explicatur alienatio.

Alienatio vel quasi *distrahtio*, est acceptio termini distrahendo eum a propria significatione taliter ut eam plane alienet & aliud significatum faciat, ut dum dicitur, *homo pictus, leo marmoreus*, quae particulae additae alienant & distrahant proprium significatum de homine & Leone, unde consequentia est nulla a termino alienato ad non alienatum, unde non licet inferre *homo mortuus non est rationalis*, ergo *homo non est rationalis*, est enim fallacia a secundum quid ad simpliciter.

Applicatio seu Appellatio ultima tandem termini affectio; Est cum vox una aliquam afficit, ac denominat secundum formale significatum, seu est applicatio significati formalis unius termini, ad significatum formale alterius, ut dum dico, *Petrus est magnus Philosophus*, nomen *magnus* appellat significatum *Philosophi*, non *Petri*, ita ut sensus sit, *Petrus est magnifice peritus in Philosophia*, unde quia data propositio dupliciter accipi potest, ita ut intelligatur *Petrus magnus est Philosophus*, id est, qui est corpore alto est etiam *Philosophus*, & alio modo, ut dixi supra, hinc dividitur appellatio in *materialem & formalem*, sola tamen formalis rationem appellationis meretur, propter quod frequentes solet haec affectio in paralogismo parere defectus, ut si quis diceret, hic puer est magnus logicus, ergo est magnus & logicus, variatur appellatio, quia *ly magnus* appellat in antecedente logicum, in consequenti puerum.

XV. quid sit Appellatio?

duplex censetur esse.

QUESTIO IV.

In qua termini frequentes in usu logiali explicantur.

Frequentissimus Usus occurrit nonnullorum terminorum qui non modo in logica verum & in qualibet facultate adhibentur ad difficultates plures explicandas & solvendas, qui quia incipientibus peregrini sunt, hinc eorum explicationem qui magis communes videntur ex proposito in hac quaestione assumpsi, & in primis communissimus est terminus.

I.

Prius & posterius. Haec voces denotant prioritatem & posterioritatem unius ad aliud, quod multipliciter contingere potest, vel tempore, ut si aliqua res existeret tempore prius quam alia, sic Pater generans prolem prole prior est, posterior proles: alio modo dicitur una res prior alia in ordine seu gradu, sic *Sacerdos prior est in ordine gradu & dignitate quam Diaconus*, tertio modo dicitur aliquid alio prius natura, ita quod illa duo licet convertibiliter dicantur, unum tamen se habet per modum causae seu potius est principium alterius, sic *homo est prior risibilitate*. Secundo est terminus.

II. Explicatur termini prius & posterius.

Materialiter & formaliter. Primum adhibemus cum significare quis vult predicatum aliquod convenire subiecto non ratione formae per subiectum importatae sed ratione materiae in qua talis forma recipitur, v. g. *Album est dulce*, non est vera haec propositio formaliter, sed materialiter tantum, quatenus materia in qua est forma albedinis, scilicet lac, est dulce, tunc vero propositio vera est formaliter quando predicatum convenit subiecto ratione formae per ipsummet subiectum importatae, ut *album est disgregativum visum*, est vera formaliter, quatenus albo convenit disgregare visum ratione albedinis, non vero ratione materiae in qua subiectatur albedo. Tertio est

III. materialiter & formaliter.

Per se & per accidens. To per se adhiberi solet, cum quis intendit significare predicatum convenire subiecto necessario, seu ex intrinseca natura & quidditate ut dum dicitur, *homo est rationalis*, *ly rationalis* per se

VI. Per se & per accidens.

con-

convenit homini; non verò casualiter & ex eventu aliquo casuali, seu accidentali, quare ea que sic eveniunt, vel prædicantur de aliquo dicuntur quod per accidens convenient, seu prædicentur & modo merè contingenti qualis est ista propositio dum de homine dicitur quod sit doctus, albus, claudus, &c. similes termini sunt, & in idem coincidunt, Essentialiter & Accidentali- ter. Quartò est.

Absolute & respective; Primus terminus tunc est in usu & adhibetur, quando prædicatum ita convenit subiecto, ut simpliciter de eo enuntiari possit illud quod dicitur sine limitatione, restrictione, vel comparatione ad aliquid aliud, sic contingeret, si aliquis reperiretur qui omnem calleret scientiam, tunc possit dici quòd esset *Absolute doctissimus*: *Respective* verò tunc adhibetur, quando prædicatum subiecto alicui quidem convenit facta tamen comparatione ad aliud, sic de habente aliquam determinatam scientiam dicitur quòd sit doctus, vel doctior respectu huius vel illius aut huius & illius scientiæ, verbi gratia. *Petrus est doctissimus* (scilicet in Grammatica aut respectu Pauli) Cum his terminis coincidunt & pro Synonimis habentur *simpliciter*, & *secundum quod*, seu ut aliis placet, *comparative*. Quintò occurrunt explicandi termini.

Ut quo, & ut quod Primus significat formam aut aliquid simile formæ, aut etiã vel formalem vel instrumentalem causam, ut *paries est albus* paries est id ut quod albedo ut quo est albus, Edmundus scribit ut quod, calamus verò est causa instrumentalis ut quo, homo discurrit ut quod, intellectu verò ut quo: Hinc ut quod significat illud quod habet formam, vel causam instrumentalem. Sextò est

Formaliter & virtualiter, seu *Efficienter & Efficienter*: *Formaliter* denotat tunc prædicatum dici bene de subiecto, quando hoc verè in se habet illam formam à qua denominatur, sic ignis dicitur formaliter calidus quia in se verè habet formam caloris: Tunc verò dicitur aliquid virtualiter tale quando quidem non habet in se illam formam à qua denominatur, potest tamen illam producere, sic sol dicitur virtualiter calidus quia natus est producere calorem: *Efficienter* verò quando solum rem secundum aliquam particularem potest ad esse ponere, sic parens efficienter continet filium, quia effectivè ad illius productionem concurrat. Septimò est

Ut sic, & ut tale: Ut sic tunc in usu est, quando quis intendit significare aliquid commune, vel ut abstractum à suis inferioribus; unde ut tale non abstrahit, sed determinat rem in quantum & quatenus hæc est, seu denotat ipsam particularitatem & singularitatem. Ioco ut sic ponitur frequentè, in communi. Octavò est.

Actu & potentia: *Actu* dicitur res esse quando verè & à parte rei existit extra suas causas; quando verò res est solum potens existere, vel potens fieri, dicitur tunc esse in potentia: *dupliciter* res potest dici in actu, scilicet in actu primo, & secundo, tunc dicitur res in actu primo, quando habet principium agendi & vir-

tutem, sic homo in statu infantie aut amentie dicitur discursivus in actu primo; si verò realiter discurrat discursivus in actu secundo dicitur, ex eo quod actualiter exerceat suam virtutem & principium: In potentia autem tripliciter res esse potest, aut enim est in potentia logica, & est tunc, quando simpliciter non implicat ut res existat: In potentia objectiva, quando produci potest, nec dum tamen res est producta, ut Antichristus: In potentia verò physica, quando in se res est nata recipere aliquam formam physicam. Nonò est

Positivè & negativè: Primum dicitur cum aliquid est tale per formam veram actu & positivè existentem, ita si quis haberet multas doctrinas diceretur positivè multi sciens: secundum verò dicitur quando in subiecto saltè non reperitur forma opposita, sic non habens scientias, carens tamen etiã ignorantia, dicitur negativè doctus, habens multas virtutes dicitur positivè bonus si tamen virtutibus careret & etiã non haberet vitia dici posset negativè bonus. Decimò est.

In actu signato & in actu exercito. Primum est cum denotatur significatio termini quid ei debeat convenire, vel non convenire, sic dicitur quòd definitio debeat constare genere & differentia, quòd gentis sic & sic debeat prædicari: secundum verò est quando actualiter fit id quod in actu significato fieri debere designabatur, ut dum actualiter definitio, verbi gratia hominem, dum actualiter prædico genus de speciebus. Undecimò est.

In sensu composito & diviso: Primo modo significatur aliquid convenire subiecto ex conjunctione formæ cum ipso, ut paries albus est disgregativus visus: In sensu diviso significat prædicatum convenire subiecto formæ sejunctæ, quæ impedit veritatem propositionis, ut *sedens potest stare*, verum est in sensu diviso, non verò in sensu composito, quia dum sedet & ut sedens revera stare nequit. Duodecimò est.

Objective & subjective: Eæ sunt *subjective* in alio quæ in sunt taliter alteri ut inhaereant ipsi velut in subiecto & sustententur ab ipso: sic *intellectus est intellectu*, *albedo in pariete*: objective verò, quæ se habent per modum objecti alicujus potentiæ cognoscentis, sic quæ obijciuntur potentiæ intellectivæ ad cognoscendum & appetitivæ ad volendum, dicuntur esse objective in intellectu & voluntate. Sunt adhuc plures alii termini quæ explicatione egerent, verumtamen quia in materiis occurrentibus pro diversitate explicari solent ex proposito huc revocandos esse non censui, attamen prætermittere non debui eos ratione quorum ipsæ propositiones quibus inferuntur evadunt, aut difficiles, aut equivocabiles prout sunt omnes exclusivi tantum, dumtaxat, solum, exceptivi præter, præterquam, nisi & reduplicativi in quantum, quatenus & prout hinc eos particulariter etiã hic explicandos assumo. Itaq;

Termini exclusivi, tantum dumtaxat, solum, &c. nati sunt determinare vel sub-

triplex est in potentia ali- quid?

X. positivè & negativè.

XI. In actu signato & exercito.

XII. quid fit in sensu composito & diviso.

XIII. quid fit esse objective & subjective.

XV.

¶
 cum vel prædicatum in propositione, cum de-
 terminant subiectum faciunt, propositionem de
 subiecto exclusi, ut Aristoteles tantum est Phi-
 losophus, cum verò determinant prædicatum
 faciunt propositionem de prædicato exclusi, ut
 Aristoteles est tantum Philosophus; Et hoc iterum,
 vel est respectu numeri, vel respectu rei, si re-
 spectu numeri, ut universalia sunt tantum quin-
 que, tunc propositio solet exponi per remotio-
 nem termini exclusivi cum hac additione, &
 non plura, ita erit sensus universalis sunt quinque
 & non plura: si verò sit terminus exclusivus rei,
 ut Aristoteles est tantum Philosophus, tunc aliqui
 exponere volunt propositionem per remotio-
 nem termini exclusivi & non aliud, verum quia
 id videtur manifestò falsum, si enim dicatur Ari-
 stoteles est Philosophus & non aliud, quis non videt
 falsum dici, quia est homo, est animal, albus, clau-
 dus, &c. quare cum Tartareto iudico melius
 exponi posse & deberi propositionem cum re-
 motione termini exclusivi, additâ particulâ,
 alius, vel alter, ita sensus fiet, Aristoteles est Phi-
 losophus, & non est alius, vel alter à facultate philosophica.
 Si verò fiet exclusivus terminus ex parte subje-
 cti, ut tantum Petrus currit, significat quòd aliis
 subiectis non conveniat hoc prædicatum, & sen-
 sus est, Petrus currit, & nullus alius homo currit,
 unde ex parte subiecti semper quasi excludun-
 tur ea subiecta quæ sunt ejusdem generis, vel
 speciei, nisi fortè ex particulari ratione univer-
 sim excluderentur omnia, ut homo tantum est vi-
 sibilis, excluduntur ea omnia quæ sunt modò
 ejusdem Generis sed etiam alia quæcunq;.

Explicatur
termini ex-
clusivi,

XV.
Explicatur
termini ex-
ceptivi,

Termini exceptivi ut præter, præter-
 quam, nisi, &c. idè tales dicuntur, quia exci-
 piunt illum terminum super quem cadunt &
 cui adduntur à principali prædicato, ut Omnis
 homo præter Petrum currit, Nullum animal præter
 hominem est visibile. Ad hoc autem ut termini
 exceptivi faciant propositionem, ut notat Tar-
 tareus, exceptivam duo requiruntur, primum
 est quod terminus à quo fit exceptio sit univer-
 salis communis distributivè sumptus, unde ista
 exceptiva non est, Aliquis homo præter Socratem
 currit, quia excipere est à toto genere partem detra-
 here, ab eo autem quod est particulare determi-

natum nil detrahi potest, unde quamvis in vul-
 gari sermone sit usitatus modus loquendi quo
 dicitur: Aliquis præter Aristotelem est Philosophus,
 attamen in hac & simili propositione ly præter
 significat idem quod ultra, quasi diceretur, ali-
 quis ultra Aristotelem est Philosophus: secun-
 dum est quod ille terminus communis à quo fit
 exceptio sub se contineat terminum exceptum,
 unde hæc exceptiva non est, Omnis homo præter
 equum Bucccephalus currit, quia Equus Bucc-
 cephalus non continetur sub homine.

Termini reduplicativi ut in quan-
 tum, quæ, ut, quatenus, prout, sunt illi qui sunt apti
 ad geminandum & iterandum aliquid, ut si di-
 cas homo, quatenus in quantum, quæ homo, est disci-
 plina capax: Duobus autem modis hi termini
 capi possunt, uno specificativè altero reduplicati-
 vè; tunc specificativè sumuntur quando denotant
 in subiecto aliquam rationem secundum quam
 vel cum qua conveniunt ipsi alia prædicata, ut
 si dicatur Petrus quatenus capillos habet est crispus,
 Paulus quæ albus est prædicator, ubi in prima
 propositione significatur Petro convenire
 crispitatem secundum capillos: in secunda,
 doctrinam Pauli non impedire quò minus al-
 bus sit, & universalitèr huc spectant etiam cæ
 reduplicaciones quæ significant conditionem
 sine qua non conveniunt prædicata subiectis, ut
 dum dicitur: Ignis in quantum propè est calefacit.
 Reduplicativè verò tunc termini isti accipiuntur
 cum significant aliquid quod subiecto con-
 venit, esse causam cur illi conveniat prædicatum,
 ut si dicas Petrus quatenus est homo est discipline
 capax, sensus propositionis hujus est naturam
 humanam quæ est in Petro esse causam ut illi
 conveniat docilitas, & hic est proprius sensus
 quem faciunt termini reduplicativi, quare no-
 tandum pro explicatione harum propositio-
 num, satis esse, si loco termini quæ, quatenus, &c.
 accipiat verbum, Quia, propriè sumptum, sive
 quæ ratione indicat causam, quo pacto difficile
 non erit eorum sensum intelligere, quòd si ta-
 men adhuc obscuriores apparent, tunc opti-
 mum remedium est & consilium earundem pe-
 tere explicationem.

XVI.
Explicatur
termini re-
duplicativi,



DISPUTATIO II. DE PROPOSITIONIBUS.

A Ntequam ad ipsam naturam propositionum explicandam accedo prius de nomine
 & verbo aliquid est dicendum, nam sic fecisse deprehendo Aristotelem. 1. Perihæ,
 & insuper quia propositionem quam principalissime constituunt nam sine illis nec simplex
 enuntiatio haberi potest, quam sine aliis terminis haberi possit. Unde sit

QUÆSTIO I. De Nomine & Verbo.

Aristoteles 1. Perihe. 2. definit no-
 men quod sit vox significativa ad placitum sine tem-
 pore cujus nulla pars separata significat, finita & re-
 cta. Quæ descriptio communiter ab omnibus reci-
 pitur, nisi quòd nonnulli particulas quasdam
 meo tamen videri non necessarias addant, qua-
 re explicatur: Dicitur vox significativa ad
 placitum: Ubi ly vox rejicit conceptus &

1.
Quid sit no-
men?

scripta: significativa eas voces quæ nihil signi-
 ficant ut blidri, &c. per ad placitum rejiciuntur
 voces significativæ naturalitèr, ut gemitus &
 aliæ multæ interjectiones; dicitur sine tempore, ut
 excludatur verbum cujus proprium est signi-
 ficare cum tempore, id est, exercitium alicujus
 actionis vel passionis in tempore denotare, unde
 licèt nomina significare tempus contingat, ut
 Dies, hora, annus, nullam tamen certam tempo-
 ris differentiam præteriti, præsentis, aut futuri
 suæ significationi adjungunt. Ponitur injus
 nulla

Nulla pars est, ut excludatur oratio, omnis namque orationis pars separatim ac per se in orationis ipsa structura significat, ut in his duabus orationibus cernere licet: Homo albus, homo sedet, in nullo autem nomine hoc contingit: Dicitur finita; per quam particulam excluduntur nomina infinita ut non homo, non lapis, quæ Aristoteles non simpliciter nomina appellanda censuit, sed infinita, eò quòd nihil determinatum aut certum significant, & potius quid res non sit, quàm quid sit explicent, unde licet ingredi possint propositionem ut prædicatum vel subiectum: ut lapis est non homo, non ingrediuntur tamen propositionem scientificam, respectu cuius Aristoteles hic in omni rigore definit nomen, adeoque excludit à definitione nominis terminum complexum infinitum, synchegoricum, & casum obliquum, nam quemadmodum hi termini secundum quid termini tantum sunt, ita secundum quid etiam sunt nomina: Additur denique, *reita* propter casus ut dixi obliquos, qui ratione suæ non sunt partes propositionis nisi casibus rectis adiungantur, ut hic liber est Petri, id est aliquid Petri: Sed

Replicatur contra hoc dictum, in orationibus interrogatoriis nihil substitui potest, ut si queram *Cujus est hic liber?* Ergò casus obliqui ratione sui sunt partes propositionis, ant. patet examinanti illam propositionem: Sed *re*, negando consequentiam, nam quamvis ibi nihil possit substitui hinc tamen non sequitur futuros casus obliquos per se partes propositionis scientificæ quæ verum, aut falsum significet, licet sint partes enuntiationis aut orationis, hic autem loquimur de nominibus, quæ interviunt veluti partes propositionibus scientificis.

Instatur. Multa pronomina adjuncto verbo efficiunt orationem, quæ verum vel falsum significet, ut ego sum, tu es, ille est: ergò adhuc erunt verè partes propositionis scientificæ verum, vel falsum enuntiantis, consequenter vera nomina: *re*, dist. efficiunt orationem quæ verum, vel falsum enuntiat ratione sui nego ant. ratione nominum pro quibus in oratione ponuntur concedo ant. & nego consequentiam utramque, unde non ratione alterius, sed ratione sui id nomen efficere debet. Contra particulam *sine tempore* pariter

Arguitur *Dies, Annus, mensis & cætera* hujusmodi, tempus significant, sed ista sunt nomina, ergò malè dicitur, quod nomen debeat significare sine tempore; *re*, negando consequentiam nam longè diversum est significare tempus, aliud significare cum tempore, unde si dicerem nomen non significare tempus teneret consequentia, non verò sic, ubi dicitur quòd nomen non significet aliquam temporis differentiam scilicet præteriti, præsentis & futuri, quod est proprie significare cum tempore.

Instatur *Nomen, cena, prandium*, significant certam temporis differentiam ergò nulla solutio: *re*, negando consequentiam, quia illa nomina tantum ad significant tempus non verò cum tempore.

Urgetur *Nomina præteritio, futurio*, non solum significant tempus & ad significant, *F. Amandi Hermann Logica.*

sed tam benè significant temporis differentiam, ac si quis diceret amavi, amabo ergò stat ad huc argumentum, *re*. Distinguendo ant. significant temporis differentiam ita ut per illa nomina importetur exercitium alicujus actionis vel passionis quæ sit in tempore nego, sine eò quod importet, tale exercitium, etiam dies & annus tempus significant concedo ant. & nego consequentiam. Itaque, ut dixi non sufficit significare tempus & illud ad significare, sed etiam, ut dicatur significare cum tempore, requiritur ut importetur exercitium alicujus actionis vel passionis.

Contra particulam, Cujus nulla pars, &c. etiam arguitur. Nomina *Pro Consul, Pro Rex, &c.* sunt nomina logicalia, sed hæc separata significant, ergò malè dicitur cuius nulla pars, &c. *re*, concessa ma. dist. mi. separata significant idem, quod conjunctim, nego mi. aliud, concedo minorem, & nego consequentiam.

Instatur nomen *Respublica* idem significat conjunctim quod separatim ergò nulla solutio. *re*, negando ant. nam combinatæ integram significant hominum communitatem quam non significant separatim sumptæ. Itaque, non debent profus nihil significare quando separantur, sed non debent significare ut partes orationis, partes autem orationis nec tollunt, nec mutant significationem separatæ, benè tamen mutant, vel tollunt partes nominis.

Urgebis verbum *satisfacio* idem significat separatim quod conjunctim, sed eadem est ratio de nomine ac de verbo, ergò si partes verbi separatæ idem significant quod conjunctæ malè adhuc dicitur quod partes orationis non debeant aliquid significare. *re*, dist. ma. Ita quod separatæ importent talem conceptum complexum qualem conjunctæ nego ma. ita quod importent majorem concedo; dixi notantèr talem, quia verum quidem est, quòd omne verbum conceptum complexum importet, nam amat in hunc resolvitur est amans, magis tamen complexum importabit, si consideretur sine copulatione, quàm cum copulatione; aut si tibi hæc resolutio displicet dic post Tartaretum, ob allatam rationem nullum verbum adjectivum, vel substantivum de secundo adjacentem esse verbum, sed tantum *est* de tertio adjacentem.

Accedo ad explicandam alteram questionis partem, Itaque, Aristoteles 1. Periher. cap. 3. definit verbum *Quod significativa vox ad placitum cujus nulla pars separata significata finita & reita cum tempore, & est semper eorum quæ de altero dicuntur, nota*: Primæ particulæ cum nomine conveniunt, unde etiam eodem modo explicantur, sicut nomen explicui: *Cum tempore* autem ad differentiam nominis ponitur, quod ut dixi nunquam importat exercitium actionis, vel passionis sub aliqua temporis differentia. Sed contra hoc

Arguitur sic Verbum *est* in propositionibus necessariis absolvitur ab omni tempore ergò nec verba ipsa debent significare semper certam temporis differentiam: probatur ant. nam si quis dicat: *Homo est animal rationale*, nullam certam differentiam importat quia pro-

IV.
Quomodo significant nomina
Pro Consul,
Pro Rex?

V.
Describitur verbum.

VI.

quocunq; tempore indifferentè vera est ergò. R. negando ant. cuius prob. ant. dist. non importat certam differentiam temporis ita ut nullum ordinem & respectum dicat ad tempus nego ant. ita ut non dicat tempus determinatum concedo ant. & nego consequentiam: Itaq; hoc non est ex natura & ratione verbi, sed quia extrema habent naturalem connexionem exigunt uniri simpliciter & absolute, & non pro tempore aliquo determinato.

VII.
Explicatur
altera pars
definitionis.

Per ultimam scilicet & est semper eorum, quæ de altero dicuntur nota, aliud nihil intelligitur, quàm quòd toties quoties in propositione ponitur, prædicatur loco sui significati exempli gratià in hac propositione de secundo adiacente Aristoteles disputat, hoc verbum disputat prædicatur loco rei quam significat. Per hanc particulam excluduntur verba presentis temporis quæ non sunt indicativi modi, ut disputa, disputare, & participia eiusdem temporis, ut disputans, quia eorum quædam nunquam prædicantur ut disputa; alia verò, quæ quidem quandoq; prædicantur, aliquando tamen non prædicantur, ut disputare disputans, &c. si enim dicas disputare de questione proposta cum altero contendere, & disputans loquitur, nec illud disputare, nec hoc disputans prædicabitur, sola ergò verba finita presentis temporis indicativi modi comprehenduntur in hac definitione, ut disputo disputas, deambulo deambulas, &c. Sed in contra.

VIII.

Arguitur in hac propositione deambulo est verbum, ly deambulo non prædicatur, ergò verbum non est semper eorum, &c. R. negando consequentiam, nam non dico, quod non possit esse subiectum, si materialiter pro se ipso sumatur, sed totum quod docui est, scilicet, quando verba sumuntur pro ipsis rebus quas significant, verbum autem deambulo in proposta propositione non accipitur pro suo significato, quia sensus non est quòd res quam deambulo significat sit verbum, sed quòd ipsa vox deambulo sit verbum.

Instatur In hac propositione Petrus est animal, ly Est non prædicatur ergò nulla solutio. R. dist. ant. si accipiatur ly Est per modum syncategorematis copulantis prædicatum cum subiecto, quæ ratione copula verbalis appellari solet concedo ant. si accipiatur pro suo significato nego ant. & consequentiam. Itaq; si accipiatur pro suo significato statim prædicatur, ut si quis dicat Petrus est, faciet propositionem hanc Petrus est existens, unde quando verba pro suis significatis accipiuntur semper de suo subiecto aliquo dicuntur sine extrinseco aliquo vinculo assumpto, ut si quis dicat, Petrus, vel Aristoteles disputat, non est necesse quærere aliquod vinculum ad propositionem perficiendam quia eam per se adjunctum nomini absolvit.

QUÆSTIO II.

De Oratione.

Oratio ad propositionem se habet velut genus, nam in ea nec veritas, nec falsitas, nec perfecta, nec imperfecta, præcisè enuntiatio attenditur, sed tantum quòd aliquid dicatur per modum alicujus termini complexi, in enun-

tiatione autem requiritur ut aliquid dicatur per modum affirmationis, vel negationis: Itaq; Aristoteles lib. I. Periher. cap. 4. definit orationem quod sit vox significativa ad placitum, cuius aliqua pars separata significat ut dictio non ut affirmatio, vel negatio, quam definitionem.

Dico bonam esse. Sic sentiunt post Aristotelem communiter omnes Dialectici. Prob. Explicando omnes ejus particulas. Dicitur vox significativa ad placitum, per quod oratio cum nomine & verbo convenit, & distinguitur per subsequentes particulas, nam nec nominis, nec verbi pars aliquid separatim significat, quod significabat conjunctim, ut patet ex dictis, partes verò orationis separatae semper significantes esse debent, adeòq; non est intelligenda definitio, quasi una sola vox significativa esse deberet, vel una saltè, quandoquidem Dialecticorum est tritum axioma significationem totius orationis consistere ex significationibus partium, sed ad discernendam orationem à nomine & verbo in quibus nulla pars separata aliquid significat quod significabat conjuncta. Sed in contra ob particulam Vox.

Arguitur Partes orationis debent significare separatim quod significabant conjunctim ut dictio, ergò malè dicitur, quòd oratio sit vox, sed debet dici quod sit Voces. R. concedendo ant. & disting. conseq. si partes præcisè secundum se spectentur transcant conseq. si spectentur sub ratione formæ nego consequentiam, nam oratio vox dicitur in numero singulari ratione formæ, quæ est unitas ordinis & complexionis.

Instatur Hæ dictiones Cælum, Ignis, Aer, Aqua, Terra habent subordinationem & unitatem ordinis, sed hæ voces non constituunt orationem, ergò ratione ordinis ejusq; unitatis nondum salvatur quòd oratio dicatur vox in singulari. R. dist. ma. habent ordinem & subordinationem naturalia, stitit concedo ma. habent ordinem nexu grammaticali copulatum, nego ma. & concessa mi. nego consequentiam, quia ad orationem non sufficit quæcunq; terminorum congregatio & cumulatio, sed requiritur quòd voces sint grammaticaliter inter se constructæ.

Urgetur, tò Homo albus secundum communiorem sententiam est oratio, quam & ipse Aristoteles approbat I. Top. 4. teste Maffrio, ubi sub oratione comprehendit definitionem copula carentem ut Animal rationale: sed isti termini & dictiones non copulantur grammaticaliter, ergò nulla solutio. R. concedendo ma. & dist. min. non copulantur explicitè & perfectè grammaticaliter concedo mi. implicitè & imperfectè nego mi. & consequentiam: itaq; definiendo orationem in genere ad perfectas species non est necessarium, quales sunt explicita & perfecta copulatio, unde quamvis ad perfectam orationem requiratur aliquod verbum non requiritur tamen ad imperfectam, aliòquin ipse Aristoteles defectuose orationem definivisset, cum ipse in ea omiserit cum tempore quod verba important, & quamvis quis argumentum prosequeretur dicendo ly Homo albus

II.
Orationis descriptio bona est.

III.

alibi posse esse partem orationis adeoq; orationem non esse nihil tamen convinceret, quia & ipsa oratio perfecta simplex pars esse potest & solet orationis composita. Contra secundam particulam etiam

IV. **Arguitur.** Hæ voces nemo, nihil, ubiq; semper, sunt orationes sed istarum vocum partes non significant separate ut dictiones, ergo male dicitur quod oratio sit vox significativa ad placitum cujus aliqua separata pars, &c. prob. ma. quia nemo significat idem quod nullus homo, nihil nullares, ubiq; in omni loco: semper in omni tempore, sed nullus homo, nullares, in omni loco, in omni tempore etiam secundum nos sunt orationes, ergo etiam illa: voces nemo, nihil, ubique, semper. R. tamen dist. ma. sunt orationes implicite transeat, explicite nego ma. sunt igitur illæ orationes non ratione sui, sed ratione significationis quia idem significant, quod in probatione assumitur, unde distingui potest etiam mi. non constant partibus formaliter concedo mi. virtualiter ratione conceptum quos in animo inprimunt nego mi. Sed contra eandem partem & jam adhuc.

Instatur. Aristoteles in presentiarum intendit orationem in communi definire, sed illa nec omni, nec semper convenit per secundam particulam, ergo non omni ut probatum est, nec semper, quia non propositionibus hypotheticis, ergo adhuc male definitur oratio, prob. quod non conveniat propositionibus hypotheticis, quia hujus propositionis composita Petrus staret, & Paulus ambulat, partes separate significant non ut dictio, sed ut affirmatio ergo. R. negando min. ad propositionis hypotheticæ partes respondeo eas hoc habere particulare, unde quando dicitur in definitione quod orationis partes debeant significare ut dictio, & non ut affirmatio intelligendum est, quod ad minus debeant significare ut dictio, per quod non negatur quod aliquando possint significare etiam ut affirmatio, vel negatio, unde potest illa probatio distingui partes hujus propositionis hypotheticæ Petrus currit, & Paulus ambulat separate significant non ut dictio, &c. immediate transeat, mediate nego, nam mediate resolvitur etiam in terminos simplices velut in dictiones.

V. **Oratio** Porro multipliciter dividi potest, nam primo secernitur in perfectam & imperfectam: Perfecta est, quæ integram sententiam declarat, ut Deus est summum bonum: imperfecta est, quæ non declarat integram sententiam: Utraq; subdividitur, imperfecta quidem in eam quæ constituitur ex verbis, aut conjunctionibus, vel aliis particulis quarum vis non finitur in ea tantum oratione quæ profertur, ut si Deum timuerimus: sic vos non vobis: Deum timere, &c. quæ etenim dum auribus percipimus expectamus adhuc ultra aliquid: Et in illam quæ fit ex nomine substantivo & adjectivo, aut ex casu recto & obliquo, quæ licet nullam, nec mutilam quidem sententiam declaret animum audientis tamen ultra non suspendit ut Animal rationale, liber Aristotelis, quibus auditis nil ex-
F. Amandi Hermann Logica.

spectamus ultra nam adjectivum in suo substantivo finitur & terminatur.

Orationes perfectæ sunt etiam multiplices, nam aliqua sunt optativa, ut O mihi preteritos referat si Jupiter annos: alia interrogativa, ut, Domine quo vadis? alia deprecativa, ut, parcite Dardanidæ de tot, precor hostibus uni. Alia imperativa, ut, discite puer virtutem ex me verumq; laborem, fortunam ex aliis; Hæ tamen omnes licet sententiam aliquam explicent animumq; quietent, verum tamen & falsum non enuntiant, ideoq; non enuntiativa vocantur, ut proinde perfecta oratio prius subdividatur in non enuntiativam de qua modò & enuntiativam, hæc est quæ verum vel falsum dicit, ut vulgus amicitias utilitate probat, & de his proprie agit Dialecticus, quæ etiam variis compellantur nominibus, nam aliquando enuntiationes, aliquando effata, pronuntiata & propositiones dicuntur, reliquas relinquit oratoribus & poetis.

VI.

QUÆSTIO III.

Quid & quotuplex sit Propositio, seu Enuntiatio?

Propositionem & Enuntiationem ut paulò insinuavi antè in hac quæstione pro synonimis usurpo, nam nec apud alios differentia notatur aliaquam per respectum diversum, si namq; id, quod enuntiatio dicitur se solo ponatur enuntiationis nomen habet, si verò illa enuntiatio verum vel falsum dicens ponatur ad inferendum aliquid ex illa in argumentatione dicitur propositio, quasi pro alio positio ad aliud inferendum, & hoc est, quod propositio supra enuntiationem addit, verum accedendo ad ipsam naturam rei explicandam Aristoteles duplicem propositionis, seu enuntiationis definitionem tradidit primam I. Priorum I. per affirmationem & negationem dicens, quod sit oratio aliquid affirmans, vel negans: secundam I. Perih. 4. per veritatem & falsitatem dicens quod sit oratio verum vel falsum significans. Circa quas Authores inter se controvertunt, aliquibus neutram approbantibus inter quos est Pontius & Oviedo, quorum primus describit enuntiationem quod sit oratio, qua significatur iudicium intellectus de re aliqua: secundus verò, quod sit oratio in qua unum de alio dicitur, quorum sententias absolute reprobandas non censeo, cum hi Authores veritatem & falsitatem, affirmationem & negationem species propositionis statuant, quod sanè negari non potest, quia tamen Aristoteles non posuit principales propositionis species affirmativam & negativam, sed categoricalam & hypotheticam, ideo non videntur illorum Authorum rationes sufficientes ad recedendum ab una vel altera propositionis definitione ab Aristotele allata, quare ut meam declarem mentem quam amplecter.

I. Propositio & Enuntiatio sunt Synonyma.

Plures descriptiones Propositionis

Dico I. Per primam definitionem Aristotelis supra definiti bene enuntiationem. Ita Complutenses lib. 2. cap. 3. Blancus lib. 6. cap. 1. Fuentes Hurtadus & alii, & videtur etiam effens Scoti, nam in 4. d. 8. q. 2. sub lit. X. docet elegantè quòd assertio affirmando vel negando præcedat in propositione assertionem pro-

II.

Prima bona est.

provenientem ex assensu vel dissensu iudicii, atq; idè in priori essentia propositionis consistit: *id pater manifestè ait Doctor in addiscente prius enim aliqua conclusio non demonstrata concipitur à discipulo per modum assertionis, secundo demonstratione ad ipsam applicata concipitur ut vera.* Prob. etiam Conclusio ratione, quia propositio vera, vel falsa dicitur, quia affirmativa, vel negativa est & non è contra, non enim affirmatur, quia verum vel falsum dicitur, sed ex eo verum dicitur, aut falsum, quia affirmatur quod non est, & negatur quod est, ergò affirmatio & negatio prius essentialitèr propositionem constituunt. Confirmatur, quia esse orationem assertivam in quo tota consistit enuntiationis ratio formalitèr ei convocat, vel quatenus unum de alio affirmat, vel unum de alio negat. Ergò

III.

Nota autem quòd secundum Aristotelem ea dicitur vera enuntiatio, quæ significat id, quod est esse, & quod non est, non esse: falsa verò, quæ significat id quod est, non esse, & quod non est, esse: sed contra Conclusionem, sic

IV.

Arguitur quotiescunq; aliquid commune definitur debet ratio definitionis communis abstrahere à rationibus particularibus, sed hic non abstrahit ratio communis à particularibus, ergò definitio non est bona, prob. mi. quia ipsa definitio includit ipsas species, seu rationes particulares, videlicet propositionem affirmativam & negativam, ergò. R. dist. ma. Quotiescunq; definitur, &c. si definitio fiat per purè essentialia concedo ma. quotiescunq; definitur, &c. si definitio fiat per enumerationem priorum actuum nego ma. Itaq; in proposito definitio non fit priori, sed posteriori modo, qui nec inconveniens est, nec inustus, tali namq; modo Aristoteles alibi 1. Phys. 42. definit principia cum dixit, esse illa quæ non fiunt ex aliis, nec ex alterutris, sed ex his omnia, & animam, 2. de Anima 24. cum ait esse principium primum quo vivimus, sentimur, movemur & intelligimus, quo genere dicunt interpretes explicari solent superiora non quidem ut abstrahunt ab inferioribus, sed potiùs ut illa respiciunt, verumtamen.

Instatur Qualibet definitio superioris debet competere inferiori & poni potest in definitione cuiuscunq; inferioris, sed definitio etiam ut modò explicata non potest competere inferiori cuilibet, nec in cuiuslibet definitione poni potest, ergò. prob. mi. quia non rectè poneretur in enuntiatione affirmativa negatio, & in negativa affirmatio, ut de se patet ergò. R. disting. ma. quælibet definitio debet competere suis inferioribus, si definitio simplex est concedo ma. si est disjunctiva, vel copulativa nego ma. & concessa mi. negatur consequentia, magna enim est differentia inter definitiones simplices & copulativas, seu disjunctivas, nam in illis debet omnibus inferioribus, secundum omnes partes contentis sub definito competere, in copulativis, vel disjunctivis verò non est necessè, ut secundum omnes partes sui competat cuilibet con-

tento, sed tantum in sensu distributivo & accommodo.

Urgetur non benè definirèt quis animal dicendo, *Animal est substantia vivens, sensitiva, rationalis, vel irrationalis*, ergò nec benè definitur propositio dicendo quod sit oratio aliquid affirmans, vel negans; patet ant. quia regula bonæ definitionis est quòd sit convertibilis cum suo definito, sed hæc non potest converti disjunctivè, & in sensu accommodo sumendo eam, ergò non est bona, subsumo, sed est eadem ratio de posteriori, ergò nec in sensu accommodo & distributivo eam considerando bona est. R. negando ant. ejus probationis. distinguendo debet esse convertibilis secundum se totam & omnes partes sumendo concedo ma. sumendo & considerando eam solum secundum aliquas partes nego, ma. unde benè convertitur data definitio quòd substantia vivens sensitiva rationalis, vel irrationalis sit animal, ac ista, oratio aliquid affirmans, vel negans est enuntiatio, quare benè notandum est me non simpliciter negare enuntiationem affirmativam & negativam esse enuntiationis species, cum sint essentialitèr distinctæ, sed tantum quòd non sint species in eo ordine ad quem eas consideravit Aristoteles, quia definitionis principales species recensuit simplices & compositas, affirmationem verò & negationem asserens esse qualitates, sumendo qualitates, prout cuiuslibet rei proprietates ejus qualitas dicitur.

V.

Ad alteram quæstionis partem accedendo conformitèr principiis Aristotelis, propositio supra descripta primà sui divisione partitur in *Categoricam* (alii appellant *simplicem*) (& *hypotheticam*) (aliter *compositam*), hæc est, quæ constat ex pluribus categoricis conjunctione aliqua inter se connexis, de quâ infra paulò post plura: *Categorica* est, quæ constat subiecto prædicato & copula tanquam partibus præcipuis, quæ quidem definitio communis, optimè tamen à Tartareto explicatur sic: quòd sit illa quæ explicitè, vel implicitè, formalitèr, vel æquivalentèr habet subiectum prædicatum & copulam tanquam partes principales sui, sive subiectum & prædicatum simplex, sive ex multis compositum. Dicitur *categorica*, quia prædicatum enuntiat de subiecto: dicitur *explicitè*, vel *implicitè*, propter propositiones de secundo adjacentè quæ fiunt cum solis verbis adjectivis vel substantivo *Est*, ut *Petrus est*, *Petrus studet*, &c. in his etenim & similibus implicitè tantum copula continetur & resolvi debent in propositiones de tertio adjacentè, ut *Petrus est studens*, *Petrus est existens*, &c. ponitur formalitèr, vel æquivalentèr, quia si imponeretur tò *A* ad significandum tantum quantum significat *Homo currit*, tunc *A* esset propositio, quia subordinaretur conceptui complexo: Addidi post Fontecam, sive subiectum & prædicatum sit unum, sive ex pluribus compositum, quia aliquando est utrumq; una simplex vox, ut *Petrus est animal*, aliquando oratio ut homo justus est prudens & simplex, aliquando propositio, ut homo est animal est propositio, nam

Propositio
alia est Ca-
thegorica,
alia hypo-
thetica.

nam in his & similibus oratio & propositio rationem subiecti habet, & copula illius propositionis quæ gerit vicem subiecti dicitur copula minus principalis, quia ex illa veritas & falsitas propositionis non attenditur sed ex secunda quæ dicitur etiam principalis vocatur.

Propositio Cathgorica dupliciter subdividitur, primò ex ratione prædicationis in *directam & naturalem, & in indirectam & in naturalem*. *Naturalis* est, quando id quod aptius est subiecti subicitur & prædicatur quod aptius est prædicari, aptius autem prædicatur superius de inferiori, ut quantitas est accidens; distinctum de confuso, ut homo est animal rationale, accidens de subiecto, ut ferrum est durum: *In naturalis* est, quando è conversò prædicatur quod subiecti aptius est, & subicitur quod aptius est prædicari, ut exempla allata demonstrare possunt. Ratione verò modi quo ex primitur prædicatum convenire subiecto dividitur in *absolutam & modalem*; *absoluta* est, quando absolute significatur aliquid alicui inesse vel non in esse, ut homo est animal, homo non est lapis. *Modalis* verò quæ non significat solum aliquid alicuius in esse, sed etiam exprimit modum quo ei illud inest vel non inest, ut homo necessario est animal, homo necessario non est lapis &c.

Propositio Absoluta subdividitur iterum primò in *Universalem, particularem, & indefinitam*: *Universalis* est cuius subiectum signo aliquo universali notatur ut *Omnis homo est animal*: Signa autem universalis sunt *Omnis, Nullus, Quilibet* & sunt universalis omnino: alia verò sunt universalis ad certum usq; numerum ut uterq; neuter & si quæ sunt alia. *Particularis* est, cuius subiectum notatur signo particulari, ut *aliquis homo est grammaticus*; Signa particularia sunt, aut sunt absolute talia, ut *quidam, aliquis*; aut ex certo numero ut *alter*. *Indefinita* est cuius subiectum pro multis rebus acceptum nullo notatur signo, ut *Homo est Philosophus, homo est rationalis particeps*. Differt autè propositio particularis à singulari quòd particularis signo notetur aliquo non accipiendo pro determinato subiecto, singularis verò accipitur sine notatione signi pro una persona singulari, ut *Plato est Philosophus, Petrus est grammaticus*.

Secundò subdividitur Propositio absoluta ex materia enuntiationis in *Absolutam, necessariam, contingentem & impossibilem*. *Necessaria* est quæ ita est vera ut falsa esse non possit ut *homo est animal, Cygnus est albus &c.* Et tales sunt omnes propositiones in quibus superiora de inferioribus affirmantur seu negantur, aut differentie de rebus quas component, aut proprietates de subiectis quorum naturas consequuntur, aut accidentia de rebus à quibus separari nequeunt, aut è contra inferiora de superioribus & cetera ordine converso. *Propositio contingens* est cuius prædicatum & convenire & non convenire potest subiecto, seu quæ cum necessaria non sit, vera tamen, vel falsa esse potest, ut *homo est albus, homo est grammaticus*, & omnes omnino in quibus accidens separabile, vel affirmativè, vel negativè prædicatur. *Impossibilis* est quæ ita falsa est ut vera esse non possit, seu cuius prædicatum subiecto convenire non

potest, ut *homo est lapis, Cygnus est niger*. Dixi autem hanc divisionem esse secundum materiam quia fit secundum habitudinem prædicati ad subiectum quæ habitudo dicitur materia enuntiationis.

Propositio Modalis Ea est quæ

quo modo aliquid alicui inest, vel non inest significat, unde dicitur adiacens propositionis determinatio & modificatio: Dicitur *adiacens* quia propositiones de in esse & absolute appositæ tali determinatione & modificatione fiunt modales: Dicitur *propositionis determinatio*, quia in his & similibus propositionibus scilicet *homo iustus est felix, Petrus est currens velociter*, licet aliquis inveniatur modus, non dicuntur tamen modales, quia modus non determinat totam compositionem & unionem prædicati cum subiecto, sed prima tantum determinat subiectum, secunda prædicatum, quod est commune terminis compositis & suppositionibus propositionum. Quatuor autem sunt genera propositionum modalium nominetenus, reverà verò tria; videlicet *Ex necessariis possibili, contingentibus, & impossibili*. Modales ex necessario sunt quæ significant aliquid esse necessariū, vel non esse necessarium ut *hominem esse animal est necessarium*. Modales ex contingentibus sunt, quæ significant aliquid posse esse & posse non esse, ut *Petrum esse grammaticum est contingens*. Modales ex possibili sunt quæ significant, quòd sit possibile illud, quod de aliquo dicitur, ut *Possibile est Petrum currere*: Modales deniq; ex impossibili sunt quæ significant esse impossibile illud quod de aliquo enuntiat, ut *hominem esse lapidem est impossibile*. Duobus autem modis singula genera modalium fieri possunt, vel nominaliter scilicet, vel adverbialiter: Posteriori modo sunt, si modo (id est dictio quæ significamus modum quo aliquid alicui inest vel non inest) sit adverbium, ut si dicas *homo necessario est animal, Petrus contingentè est Musicus &c.* Priori verò modo & formula fit modalis, si modus sit nomen quod pronuntietur de oratione ex verbo infinitivo composita, quæ oratio dictum appellatur, ut si dicas *hominem esse animal est necessarium, Petrum esse musicum est contingens &c.* His namq; duobus loquendi generibus duntaxat significare possumus in actu exercito quo aliquid alicui inest vel non inest, prout semper intelligitur ly *significans* in explanatione. Differentia est inter illas formulas potissimum ista, primò quia in priori modus est nomen, in posteriori adverbium, secundò quia in priori modus prædicatur, in posteriori verò non prædicatur sed afficit copulam enuntiationis, tertio deniq; quia in priori duo subiecta sunt & duo prædicata, in posteriori verò tantum unum est prædicatum & unum subiectum.

Dixi Nominetenus tantum esse quatuor genera modalium, reverà autem non sunt nisi tria, quia licet Possibile possit considerari ut præcindens à necessario & contingentibus quia utrumq; possibile est, tam enim necessarium quam contingens repugnat non esse, in præsentis tamen possibile sumitur prout coincidit cum contingentibus quod pariter potest esse & non esse, quare tres tantum dici debent modi correspondentes triplici materię propositionum.

B 3 Circa

VIII. Describitur propositio modalis

Quatuor sunt genera modalium.

duobus modis fiunt modales

IX.

X.
Controversia
inter autho-
res de Divi-
sione propo-
sitionis hypo-
theticae.

Circa explicationem & divisionem & applicatio Propositionum hypotheticarum diversificatur inter Recentiores & veteranos Summulistas, nam Hurtadus & post ipsum Oviedo non putant propositionem hypotheticam distingui à categorica, quòd hæc constet prædicato subiecto & copula tanquam partibus præcipuis, illa verò pluribus enuntiationibus simplicibus conjunctione aliqua connexis, sed quòd categorica se sola sit significativa, hypothetica verò non, sed in sua dependeat significatione ab alia, velut à conditione, unde tantum differt ratione solius additi, verbi gratia in hac propositione quæ est hypothetica, *si sol est, vel lucet, dies est*, quæ sic resolvitur *Dies est existens si sol lucet, vel si sol est super horizontem, ubi tantum additum, si sol lucet facit propositionem hypotheticam quæ alioquin esset simplex, quare etiam hanc solam dicunt esse hypotheticam propter dependentiam conditionis & additionem, copulativam verò & disjunctivam non unam propositionem sed plures propositiones Categoricas dicunt, Verumtamen, licet hæc eorum sententia facile sustineri possit & dici copulativam & disjunctivam esse tantum plures simplices, solamq; Conditionalem hypotheticam tum ob rationem & explicationem insinuatam, tum vi nominis (nam hypothesis inter alia significat etiam conditionem) esse, imò si quis in rigore loqui vellet nec hæc rationem propositionis habere deberet, cum potius præ se ferat vim & consequentiam illationis, attendendo artificiosam dialecticæ structuram, non videtur mihi ob id à Seniorum Summulistarum via declinandum, quare supposita definitione propositionis hypotheticæ superius datæ tanquam bonæ ad divisionem examinandam & explicandam*

XI.
Triplex est
propositio hy-
pothetica.

Dico Bene dividitur propositio hypothetica in Conditionalem, copulativam & disjunctivam. Ità Maltrius, Fonseca & Antiquiores Summulistæ. Probatur Conclusio. Quia omnis propositio quæ conjunctione una est (ut eam appellat Aristoteles.) Aut jungit earum sententias, aut dividit, si jungit, aut ordine consequutionis id facit unius ex altera, ut videlicet posterior ex priori efficiatur, aut non habità ratione ejusmodi ordinis, si primo modo est conditionalis, si posteriori copulativa, si deniq; sententias dividit disjunctiva est. Primi generis itaq; est hæc propositio, *si sol lucet, dies est*, secundi ista, *Socrates & fuit Philosophus & fuit vir bonus. tertii deniq; Aut dies est, aut nox est &c.* Prob. secundo Diversa est veritas copulativæ & disjunctivæ, diversumq; judicium quod fertur de ipsis, à veritate & judicio quod fertur de categoricis absolute prolatis & sine conjunctione, ergò etiam diversa sunt propositiones, prob. ant. de copulativa quia hæc significat illas simplices ex quibus componitur esse simul veras, quam simultatem non significant duæ illæ simplices non copulativæ, imò absolute sumptæ una potest esse vera altera falsa, sed si sumantur copulatæ unà existente falsâ tota conjunctiva est falsa, ergò est diversum judicium & diversa veritas à judicio & veritate simplicium: probatur etiam

de disjunctiva, Quia alterâ parte existente falsâ tota disjunctiva est vera ubi tamen separata veræ non sunt, ergò. Probatur deniq; tertio ad hominem. Secundum Ipsos Propositio conditionalis verè est hypothetica ergò etiam est talis copulativa & disjunctiva: prob. consq. Quia si hæc non essent hypotheticæ nec conditionales hypothetica dici posset, ergo: prob. sequela quia eadem est ratio de una ac altera ergò: prob. ant. Ideò secundum Ipsos copulativa & disjunctiva non sunt hypotheticæ quia sunt tantum plures simplices simul sumptæ, sed etiam conditionalis dici potest esse tantum plures simul sumptas ergò: prob. mi: Quia hæc conditionalis *si sol lucet dies est*, resolvitur in has duas *sol est & dies est*. Ex suppositione solis supra horizontem ergò etiam tantum sunt duæ simplices, consequentè quâ ratione admittitur conditionalis esse hypothetica admitti debet quoq; quòd sint hypotheticæ copulativa & disjunctiva, aut si hæc excluduntur illa pariter excludi deberet, Nec valet ad etymologiam supra assignatam recurrere, nam Boëtius quoq; teste D. Thoma in opusculo de enuntiatione cap. 14. in numerum hypotheticarum refert *disjunctivam*; Et copulativa quoq; hypothetica appellari potest, quia alteri enuntiationi simpliciter jam positæ alteram adjungit hæc enim suppositio quasi hypothesis appellari potest; Deinde gratis recurritur ad illa quæ de voce sunt ubi clara est res de re, Accedo itaq; ad explicandas singulas.

XII.
Explicatur
conditionalis.

Propositio hypothetica Conditionalis est quæ conditionali aliquâ particula constat, ut si dicas, *si Petrus currit movet pedes*, aliquando utraq; est affirmativa ut in exemplo, aliquando utraq; negativa ut *si Petrus non currit non movet pedes*, si *Paulus non habet oculos non videt*, aliquando verò propositio est affirmativa & consequens negativa, ut *si dies est non est nox &c.* Ad veritatem conditionalis affirmativæ requiritur quòd consequentia secundum se & ex natura antecedentis sequatur sive in se postea sint veræ, vel falsæ, possibiles, vel impossibiles, necessaria, vel cõtingetes, ut si dicas, *si homo habet alas potest volare*, vera est conditionalis, quia posse volare sequitur benè ex antecedente *si habet alas*, licet falsum sit hominem habere alas, vel posse habere alas, è contra falsa erit conditionalis si consequentia non benè sequatur ex antecedenti, licet antecedens verum sit, ut *si dies est, Petrus dormit*, Quare dicunt dialectici, omnes conditionales veras esse necessarias, falsas verò impossibiles, quòd contra Maltrium non approbo, quia modò multæ contingentes de futuro probabiles sunt, ut *si diligenter studueris evades doctum*, sed & multæ de præsentibus, ut *si hæc mater est diligit filium*, quæ propositiones licet veræ sint vix tamen aliquis dicit ita necessariò veras esse ut falsæ esse non possint.

Ad Conditionalem revocant propositiones racionales, ut *si sol est ergò dies*, *Omnis homo est rationis particeps, & mente captus est homo, igitur mente captus est rationis particeps* ad veritatem racionales ultra bonitatem consequentiæ etiam

etiam requiritur ut antecedens in se sit verum, unde hæc est falsa, homo est asinus ergo est rursus; Deinde reducuntur *causales* ut *Quia sol est, dies est, quia homo est compositus ex elementis potest mori*, ad hanc ultra bonitatem consecutionis & antecedentis veritatem etiam requiritur quod antecedens sit causa consequentis, si vera sit causalis & propria, unde hæc est falsa *Aristoteles est homo ergo est Philosophus, Plato est lapis ergo est sensus expertus*, prior quidem quia consequentio est falsa & vitiosa, posterior verò et si consequentia sit bona & apta falsum tamen est antecedens. Denique huc referuntur omnes illæ quæ à quibusdam dialecticis vocantur *remporales locales*, & id genus aliæ, ut *Cum sol est dies est, Ubi sol est dies, Quo semel est imbuta recens servabit odorem vestis diu: Quibus cum vixeris, eorum mores imitaberis*.

verum, quo disjunctivo loquendi modo usus est Christus cum dixit: *Ubi duo, vel tres fuerint congregati &c.*

Pro Complemento Hujus xv.

Quæstionis Notandum, in qualibet propositione categorica (idem est suo modo in hypothetica) quatuor considerari solent, *Materia* scilicet, *forma*, *qualitas* & *quantitas* propositionis. *Forma* est copula quæ efficit unionem prædicati cum subiecto secundum affirmationem vel negationem, quæ aliquando una est, aliquando duplex, una principalis, altera minus principalis, In hypotheticis copula non est verbum *Est*, sed adverbium aliquod, vel nota simplices conjungens ut, *Et, vel, si, &c.* *Materia* sunt objecta de quibus formatur propositio & cognoscitur per habitudinem vel connexionem prædicati cum subiecto, nam si sunt necessariò connexa propositionem efficiunt necessariam, si contingenter contingentem &c. *Qualitas* Propositionum duplex essentialis una, altera accidentalis, qualitas essentialis est conjunctio prædicati cum subiecto secundum affirmationem vel negationem. Accidentalibus est quæ fit secundum veritatem, vel falsitatem & cætera conjunctionis accidentia. *Quantitas* deniq; est quæ explicat extensionem vel restrictionem propositionis id quod vel sit *universalis seu communis, vel particularis, singularis, vel indefinita*, attenditur autem quantitas propositionis ex parte subiecti quomodocumque prædicatum se habeat unde ista est singularis, *Petrus est homo*, licet homo hic sumatur indefinitè quòd in materia necessaria æquivaleret universalis.

QUÆSTIO IV.

De Oppositione Propositionum Categoricarum.

Hucusq; explicui naturam & divisiones Propositionum restant explicandæ earum nonnullæ proprietates quæ sunt Oppositionis, æquipollentia & Conversio earum, de quibus in sequentibus & hic.

I.
 Quomodo accipiat oppositio.

Oppositio Itaq; in proposito non accipitur pro reali diversitate rerum, qualis est inter calorem & frigus; nec in toto rigore qui reperitur in propositionibus secundum affirmationem, vel negationem, vel veritatem & falsitatem, quia sic fiunt & dicuntur oppositæ secundum qualitatem tantum, sed sumitur oppositio pro quacunq; diversitate, in qua etiam universalis & particularis opponuntur sibi, quæ sibi tamen in rigore non opponuntur cum una sub alia contineatur, in hac ergo acceptione definitur oppositio quòd sit duarum Propositionum eodem subiecto & prædicato constantium secundum qualitatem, vel quantitatem, vel utramq; repugnantia, dicitur notantè eodem subiecto & prædicato, ut videlicet in utraq; nomina sumantur pro eodem significato, & non variantur secundum suppositionem, ampliationem, vel appellationem &c. ita nulla fiat præter qualitatem & quantitatem mutatio; sed servetur idem subiectum, idem tempus pro eodem loco, pro eodem supposito, & eadem omninò significatione, ita ut nulla fiat æquivocatio.


catio

III.

IV.

catio: Tunc autem habetur oppositio in quantitate, quando una est universalis, & altera particularis, ut *Omnis homo est animal, aliquis homo est animal*; in qualitate verò quando una est affirmativa, altera negativa, ut *Omnis homo est animal, nullus homo est animal*, in utraq; deniq; quando una est affirmativa universalis, & altera particularis negativa, ut *Omnis homo est animal, aliquis homo non est animal* &c. Et prima oppositio dicitur minima, & appellatur subalterna:

ultima verò est maxima, diciturq; contradictoria; media verò in qua servatur eadem quantitas, si universalis est dicitur Contraria; si verò quantitas est particularis, dicitur subcontraria; Hinc quadruplex colligitur oppositio Contradictoria scilicet summa, Contraria, subcontraria, & subalterna; ad quarum captum Tyronibus ordinariè apponi solet subsequens figura, quam etiam idcirco addo.



II: *Oppositio contradictoria quasit.*

Oppositio Contradictoria, Est repugnantia duarum propositionum in quantitate & qualitate simul, ita quòd una universalitèr affirmet, & altera particularitèr neget, vel una universalitèr neget & altera particularitèr affirmet, ut schema propositum consideranti patebit, non tamen ad hoc limitanda est contradictoria oppositio, cum istæ etiam verè sint contradictoriæ *Petrus ludit, Petrus non ludit*, quare dicendum quòd hic tantum definiantur & allegentur oppositiones de subiecto communi, quia nec Aristoteles intendit excludere, vel negare contradictiones singulares veras esse contradictiones. Propositionum Contradictentium hæc lex est, ut in quacunq; materia fiant simul veræ, vel simul falsæ esse non possint, sed semper una pars vera, altera falsa esse debet, Et hæc lex & regula fundatur in infallibili, & generali principio *Idem de Eodem simul affirmari & negari non posse*, sed in Propositionibus contradictoriis idem prædicatum eodem comparatur modo ad idem subiectum in una affirmativè in altera negativè, ergò impossibile est utramq; simul posse esse veram vel falsam.

Lex propositionum contradictoria.

III: *Oppositio Contraria qua?*

Oppositio Contraria Ex Aristotele lib. I. Perihe. cap. 7. Est repugnantia duarum propositionum universalium in qualitate, ita quòd una universalitèr enuntiet aliquid inesse & altera universalitèr inesse neget, ut *Omnis homo est albus, nullus homo est albus*, Ad hanc oppositionem, licet videatur Philosophus sentire contrarium cap. citato, reducuntur propo-

sitiones illæ, quæ de re universali aliquid dicunt, non tamen universalitèr, quales sunt indefinitæ, si sint in materia necessaria, aut impossibili, quia sic equivalent universalibus, unde dici potest Aristotelem voluisse indefinitas in materia contingenti universim non esse contrarias, sicut etiam in materia possibili. Harum propositionum lex & regula est, quod in materia necessaria, aut impossibili seu remota, una sit necessariò vera, altera necessariò falsa, ut dum dico *Omnis homo est animal, nullus homo est animal; Omnis homo est lapis, nullus homo est lapis*; In materia tamen contingenti utraq; simul potest esse falsa, non tamen utraq; simul vera, ut omnis homo est albus, nullus homo est albus, hinc quidem possum colligere, si una contraria vera sit quòd altera sit falsa, non tamen e contra, si una sit falsa, alteram futuram veram. Hæc regula fundatur in hac ratione, *Quod si contrariæ possent esse simul veræ, etiam contradictoriæ simul veræ esse possunt*, sed hæc nequeunt esse simul veræ, ergo nec istæ; prob. sequela: *Quia si istæ duæ contrariæ sunt simul veræ, Omnis homo est albus, nullus homo est albus* ergò etiam duæ istæ, subalternæ, *aliquis homo est justus, aliquis homo non est justus*, quæ inter se sunt contrariæ sunt veræ, sed prior contraria est contradictoria posteriori subcontrariæ, & posterior priori, ut patet in schemate supra posito, ergò duæ contradictoriæ sunt simul veræ.

Earum lex.

Oppositio Subcontraria quæ propriè oppositio non est, Est repugnantia duarum

IV: *Oppositio subcontraria.*

duarum propositionum particularium in qualitate, ita quod una particulariter affirmat, altera particulariter negat, ut *aliquis homo est albus*, *aliquis homo non est albus*; dixi autem non esse hanc proprie oppositionem, nam non praedicatur de eodem subiecto quod fit albus, ille namque homo qui dicitur albus, alius est ab eo qui dicitur non albus, verum enim verò, si dicatur de eodem subiecto non erit amplius oppositio contraria sed contradictoria. Harum propositionum lex & regula est, ut in materia necessaria & impossibili una sit necessario vera, altera falsa, ut si dicas *aliquis homo est rationalis*, *aliquis homo non est rationalis*; *aliquis homo est gannibilis*, *aliquis homo non est gannibilis*; In Materia verò contingenti utraq; potest esse vera, ut *aliquis homo est albus*, *aliquis homo non est albus*, non tamen utraq; falsa propter rationem eandem supra allegatam, quia sequeretur quòd contradictoriae possent esse simul falsae, nam si haec subalternata *aliquis homo est albus*, est falsa, falsa etiam erit subalternans, *omnis homo est albus*, & si haec subalternata, *aliquis homo non est albus*, falsa est, necesse est etiam subalternantem, *Nullus homo est albus* falsam esse, nam si res nulli ex inferiori convenit nec omnibus convenit, quare haec duae contradictoriae essent simul falsae *Omnis homo est albus*, *aliquis homo non est albus*, & istae, *Nullus homo est albus* & *aliquis homo est albus* &c.

Oppositio Subalterna omnium

minima, cum nullo modo fiat in qualitate sed tantum in quantitate, quarum una adhuc alteram inferit, scilicet universalis vera particularem veram, est repugnantia duarum propositionum secundum universalitatem & particularitatem, ita quod una universaliter affirmat, affirmet altera particulariter & quod una universaliter negat, negat altera particulariter, ut, *Omnis homo est albus*, *aliquis homo est albus*; Harum propositionum lex, & regula est, quòd tam in materia necessaria quam impossibili, utraq; sic simul vera, vel simul falsa, ut *Omnis homo est animal*, *aliquis homo est animal*, *Omnis homo est lapis*, *aliquis homo est lapis*, in materia verò contingenti, si universalis est vera, etiam erit particularis, non tamen e contra, ratio est, quia si praedicatum convenit omnibus, inferioribus subiecti, convenit etiam alicui, non tamen si alicui convenit, convenit omnibus quia non sequitur *aliquis homo est albus*, ergò *omnis homo est albus*, & si quandoq; sequitur ut in exemplis superioribus, hoc non provenit ex forma, sed ex vi materiae scilicet necessariae vel impossibilis; Si verò particularis falsa sit in materia contingenti (in necessaria si falsa est particularis etiam falsa est universalis, ut patet in exemplo secundo supra, & e contra) etiam universalis falsa erit, sed non e contra, ratio est quia si praedicatum removetur ab aliquo inferiori, jam non convenit omnibus, non tamen si removetur ab omnibus simul sumptis, ideò removetur ab aliquo uno & determinato.

QUAESTIO V.

De Equipollentia & conversione Categoricarum Propositionum.

Equipollentia Propositionum potissimum inferuit ad explicandas & exponendas. *F. Amandi Hermann Logica.*

das obscuriores propositiones, quae quandoq; adhiberi, vel in argumentatione adferri solent, definitur autem quòd sit duarum propositionum ex eodem subiecto & praedico constantium aequivalentia, ex diversis signis proveniens: signum autem potissimum est negatio diversimodè applicata, vel praeposita, vel postposita, aut praeposita, & postposita simul, nam tò *Non malignanti est natura tollens quidquid post se invenit*, unde si invenit propositionem affirmativam, si universalem reperit, particularem relinquit, & e contra, ad quòd dignoscendum Dialectici tres adhibent regulas per subsequens carmen expressas:

Præ Contradic; post Contra; pra, postq; sub alter. Itaq;

Prima Regula insinuata & indicata

per ly *Præ Contradic* est, ut particula non praepônatur subiecto cuiuscunq; enuntiationis, tunc illa enuntiatio, seu propositio fiet aequipollens suae contradictoriae, sint pro exemplo istae duae contradictoriae propositiones *Omnis homo est albus*, *aliquis homo non est albus*: Nullus homo est albus, *aliquis homo est albus*, si primae propositioni praeponas particulam non dicendo, *Non omnis homo est albus*, aequivaleret suae contradictoriae. *Aliquis homo non est albus*: si verò praeponas secundae, tunc evadet aequipollens primae, ut *Non aliquis homo non est albus*, idem valet ac *Omnis homo est albus*, &c. sic de ceteris, ratio assignatur haec, quia cum negatio sit malignantis naturae destruit omne, quòd post se invenit, & ponit oppositum.

II.

Regula prima.

Regula secunda indicatur per tò

post contra, & significat quòd quando particula non postponitur subiecto propositionis universalis, quòd eam faciat aequivalere suae contrariae: sint pro exemplo istae duae propositiones contrariae *Omnis homo est albus*, *Nullus homo est albus*, si negationem quis ponat post subiectum prioris propositionis hoc modo, *Omnis homo non est albus*, aequivaleret suae contrariae posteriori, nam idem sonat ac *Nullus homo est albus*, & e contra si dicat quis *Nullus homo non est albus*, faciet aequipollentem propositionem illi, *Omni homo est albus*.

III.

Regula secunda.

Regula Tertia Per ultimam parti-

culam *Præ postq; sub alter* expressa significat, quòd si negatio praepônatur & postponatur subiecto propositionis tunc faciet eam aequivalere suae propositioni subalternae, sint pro exemplo istae duae propositioes: *Omni homo est albus*, *quidam homo est albus*, quarum prior dicitur subalternans, posterior subalternata, si itaq; aliquis praeponat subiecto primae propositionis & etiam postponat particulam non dicendo: *Non omni homo non est albus* aequipolleret subalternatae, *quidam homo est albus*, e contra verò si quis huic posteriori praeponat postponatq; negationem per ly non dicendo: *Non aliquis homo non est albus* faciet aequivalentem propositionem priori subalternanti scilicet, *Omni homo est albus*. Et haec quidem regula valet pro subalternis affirmatis, non tamen pro negativis universaliter, nam quamvis subalternans negativa addita duplici negatione aequivaleret subalternatae negativae, ut *non nullus homo non est albus* isti, *aliquis homo non est albus*, non potest tamen e contra particularis negativa subalternata sic fieri aequipollens

IV.

Regula tertia.

C

pollens; Ratio est, quia jam habet negationem post subjectum, & deberet ei adhuc addi duplex alia negatio dicendo, non aliquis homo non non est albus, & sic ridiculum murem quis excitaret ex tali negationum multiplicatione.

Ut facilius autem dicta capiuntur & memoriae imprimantur solent Authores sequentes adnotare versus quos pariter non omitendos duxi & sunt.

- Non omnis, quidam non, omnis non, quasi nullus,*
- Non nullus, quidam, sed nullus non, valet omnis,*
- Non aliquis, nullus, non quidam non, valet omnis.*
- Non alter, neuter, neuter non prestat uterq[ue].*

V,
Non datur
Regula pro
Sub-Contrariis.

An autem sub Contrariæ possint fieri æquipollentes controvertitur inter Authores; Ex eo quod nulla ab Aristotele sit tradita Regula, hinc plures negant posse eas fieri æquipollentes, alii dicunt posse fieri sicut Contrariæ, inter quos est Fonseca, qui tamen id non demonstrat, imò Contrarium clariùs evincitur sic, statuatur istæ duæ propositiones subcontrariæ: *Aliquis homo est justus, aliquis homo non est justus*, quibus positis, sive eis addatur particula *non, præ, sive post, sive, præ & post*, nullo modo evadent æquipollentes, quia cui præposita fuerit negatio, fiet universalis, si verò negatio postposita fuerit ut in Contrariis, & hoc in affirmativa, hoc modo, *Aliquis homo non est justus*, coincidet cum negativa opposita in terminis, adeoq[ue] dici non poterit æquipollens, sed eadem: si autem addita fuerit negatio negativa fiet talis propositio *Aliquis homo non non est justus*, quæ negationis repetitio ridicula est: si deniq[ue] propositioni addita fuerit *præ & post* negatio, ut fieri solet in subalternis, propositio fiet universalis non minus quàm in Contradictoriis ergo. Maltrius putat alium inveniendum esse potius modum faciendi sub contrarias æquipollentes, quàm propter non convenientiam trium regularum sub contrariis id denegare, maxime cum æquipollentia sit propositionum proprietas, atq[ue] adeò pariter conveniens propositionibus contrariis, & assignat modum, si videlicet secunda regula eis applicetur non adverbialiter, sed nominaliter, scilicet *nullum*, si enim sub Contrariæ affirmanti *quidam homo est justus*, apponas post subjectum negationem *nullum*, faciet hanc, *quidam homo nullum est justum*, quam dicit æquipollentem esse huic, *quidam homo non est justus*, verumtamen non videntur istæ duæ propositiones esse æquipollentes, nam posterior significat iustitiam de subjecto per modum *adjectivi & accidentis*, prior verò scilicet quidam homo nullum est justum per modum substantivi & termini infiniti, nam adjectiva sumpta neutraliter substantivè significant, ut patet in forma consecratoria panis: *Hoc est corpus meum, &c.* adeoq[ue] non videtur recedendum ab antiquioribus Summulistis, quamvis negare nolim quin possent esse & fuit adhuc alii modi faciendi alias propositiones æquipollentes, ut notat Fonseca, nam universalis propositio æquipollent aggregati omnium suorum

singularium, ut hæc, *Omnis homo est justus*, huic orationi, *Petrus est justus, Paulus est justus, &c.* & hæc, *Nullus homo est justus*, huic orationi, *Hic homo non est justus, ille homo non est justus, &c.* Et etiã particularis propositio æquipollent disjunctioni omnium suarum singularium, ut hæc *aliquis homo est justus*, huic orationi, *hic homo est justus, aut hic homo est justus, &c.* sic de cæteris, hæc de æquipollentia.

Altera pars Tituli est de Conversione Propositionum, definitur autem quod sit commutatio extremorum propositionis servata qualitate & veritate, quæ definitio communiter recipitur, deducuntur autem ex ea tria quæ ad conversionem requiruntur; Ex eo enim quod dicitur commutatio extremorum, sequitur subjectum unius propositionis debere fieri alterius prædicatum, e contra prædicatum subjectum per, servata qualitate, intelligitur quòd in utraq[ue] propositione, scilicet conversa & convergente debeat manere eadem qualitas essentialis, quæ est affirmatio & negatio, ita ut affirmativa convertatur in affirmativam, negativa in negativam; & per ultimam particulam, veritate colligitur quod debeat servari etiã qualitas accidentalis scilicet veritas, adeò ut vera non transeat nisi in veram, hoc tamen pariter notandum est, quòd propositio quæ sic commutatur dicitur conversa, quæ autem ex commutatis extremis resultat convertens dicitur.

VI.
Describitur
Conversio
propositio-
num.

Triplex autem est conversio, scilicet simplex, per accidens, & per Contrarietatem; Conversio simplex, seu in terminis, est quòd una propositio sic transit & commutatur in aliam, ut in convertente non modo servetur eadem qualitas essentialis & accidentalis quæ fuit in conversa, sed etiã eadem quantitas, ita ut universalis in universalem, particularis commutetur in particularem, quam ob causam alio nomine dicitur totalis, mutua, & hoc genere Conversionis convertuntur *universalis negativa & particularis affirmativa*, Exemplum primæ; *Nullus lapis est homo, ergò nullus homo est lapis*; secundæ *quidam homo est animal, ergò quoddam animal est homo*. Conversio per accidens, quæ alio nomine dicitur in parte, est in qua manente quiddem qualitate mutatur quantitas, & hoc conversionis genere convertuntur *universalis affirmativa in particularem affirmativam*, ut si dicas, *Omnis homo est animal* ergò aliquid animal est homo, & *universalis negativa in particularem negativam*, ut si dicas, *Nullus equus est lapis*, ergò quidam lapis non est equus, & idè dicitur partialis & non mutua quia e contra particularis non sic possunt converti in universales, non valet enim inferre ex hac propositione, aliquis homo est albus, ergò omne album est homo: nec ex ista, aliquis homo non est albus, ergò nullum album est homo, hoc tamen intelligas de propositionibus in materia contingenti & possibili, nam in materia necessaria non videtur mihi ratio apprensens cur non possit particularis in universalem commutari, ut si dicas, aliquod rationale est homo, ergò omnis homo est rationalis, imò si quis statuatur hanc propositionem convertentem, aliquod animal est homo pro conversa, sequitur bene, ergò omnis homo est animal.

VII.
Triplex est
per se, per
accidens, per
contra-
positionem.

Conversio fit per contra positionem quæ proprie conversio non est, & est conversio in quâ non mutatur quidem quantitas, nec qualitas, sed per additionem negationum ex terminis finitis fiunt termini infiniti, hoc genere convertuntur universalis affirmativa, & particularis negativa. Exemplum primæ sit: *Omni homo est animal, ergo omne non animal est non homo; secundæ, Aliquis homo non est albus, ergo quoddam non albus non est homo; Universalis Regula pro omnibus est quod in utraq; propositione semper sumantur termini in eadem suppositione, & sub eadem significatione. Ut autem dicta facilius capiuntur cum summulistis communiter adfero memoriæ mandandum vulgatum distichon mutato solo nomine Eva in Est: *Feci simpliciter, convertitur Est per Acci, Asto per Contra, sic fit Conversio tota.**

In quibus carminibus principales ad propositum spectantes tres sunt dictiones istæ *Feci, Est, & Asto*, quæ dictiones denotant propositiones in illis comprehensas qualiter converti debeant, ita ut sensus carminum sit, Propositiones comprehensæ in dictione *Feci* debent converti simpliciter, quæ verò denotantur per dictionem *Est* debent commutari per accidens, & quæ insinuantur per *Asto* debent converti per contrapositionem. Ubi ulterius autem advertendum quod propositiones quæ in dictionibus comprehenduntur designentur per vocales contentas, & non per consonantes, in omnibus autem non comprehenduntur plures, quam quatuor sequentes *A. E. I. O.* quarum prima significat universalem affirmativam, secunda universalem negativam, tertia particularem affirmativam, & quarta particularem negativam, quod his duobus versibus exprimi solet

Afferit A, negat E, sunt universaliter Ambæ,

Afferit I, negat O, sunt particulariter Ambæ.

Unde *Feci* designat quod universalis negativa & particularis affirmativa convertantur simpliciter, *Est* verò significat, quod universalis negativa possit etiam converti per accidens, universalis autem affirmativa per accidens solum loquendo universaliter, dico autem loquendo universaliter, nam in terminis convertibilibus etiam potest simpliciter converti, ut Omnis homo est risibilis, ergo omne risibile est homo, *Asto* demum denotat quod universalis affirmativa & particularis negativa converti possint per contra positionem, ut autem quoq; cognoscas quales debeant esse propositiones convertentes, sequens suscipe carmen:

Ecce Tibi primi armigeros sec; arma dono ter:

In quo carmine prima illa verba *Ecce tibi primi*, significant in prima conversione, seu simplici transmutari *Ecce & tibi*, id est, *E in E, & I in I*, seu universalem negativam in universalem negativam, & particularem affirmativam in particularem affirmativam: Illa verò *Armigeros sec*, denotant per secundam conversionem quæ est per accidens, converti *A in I, & E in O*, id est, universalem affirmativam in particularem affirmativam, & universalem negativam in particularem negativam: Ultima tandem *Arma dono* *F. Amandi Hermann Logica.*

ter significant in tertia conversione, quæ est per contrapositionem, converti *A in A, & O in O*, id est, universalem affirmativam in universalem affirmativam, & particularem negativam in particularem negativam. Hucusq; de conversione propositionum quæ constant utroq; extremo communi, sed quæstio alia est, quid sit dicendum, si propositiones constarent utroq; extremo singulari? aut, si constarent subiecto singulari & prædicato communi? vel deniq; si constarent subiecto communi & prædicato singulari? quod Aristoteles in tradendis conversionibus non spectavit. Ad primam tamen quæstionem respondeo propositiones tales, sive affirmativæ, seu negativæ fuerint convertendas esse simpliciter, verbi gratiâ, Aristoteles est hic Philosophus, ergo hic Philosophus est Aristoteles, Aristoteles non est Socrates, ergo Socrates non est Aristoteles. Ad secundam dico, illas propositiones convertendas esse per accidens, affirmativas quidem in particulares, ut Aristoteles est Philosophus, ergo aliquis Philosophus est Aristoteles, negativas verò & in particulares & in universales hoc modo, Aristoteles non est lignum, ergo aliquid lignum non est Aristoteles, & ergo nullum lignum est Aristoteles. Si tertio modo deniq; sint constitutæ propositiones, tunc affirmativæ & universales negativæ convertuntur per accidens in singulares hoc modo, Omnis vel aliquis Philosophus est Aristoteles, ergo Aristoteles est Philosophus; Nullus factor est Aristoteles, ergo Aristoteles non est factor: Negativæ verò singulares non convertuntur, darentur enim conversæ falsæ & convertentes veræ, ut si diceret: Aliquis Philosophus non est Aristoteles, ergo Aristoteles non est Philosophus. Hæc de conversione æquipollentia & oppositione Propositionum de inesse, seu absolutarum categoricarum, & quamvis ex dictis sufficienter possit colligi conversio, oppositio, & æquipollentia modalium & hypotheticarum, attamen majoris claritatis gratia particulari subsequenti quæstione earundem propositiones explicare volui. Sit igitur

QUÆSTIO VI.

De Oppositione, æquipollentia, & Conversione Propositionum Modalium & hypotheticarum.

Quantum ad primam tituli partem de oppositione, sciendum in hoc genere propositionum, tot esse oppositiones, quot viæ sunt in absolutis, videlicet: *Contrariam, Contradictoriam, Subcontrariam*, & quartam impropriam *subalternam*, In quibus proinde etiam adhibentur eadem leges & regulæ quæ tradi solent pro absolutis, nam nec propositiones modales contrariæ possunt esse simul veræ; nec subcontrariæ simul falsæ; nec contradictoriæ simul veræ aut simul falsæ; nec deniq; fieri potest ut subalternante existente vera subalternata sit falsa, cum etiam hic ex veritate subalternantis colligatur veritas subalternatæ, & ex hujus falsitate falsitas illius; Hæc sunt cum absolutis in modalibus communia; Itaque Pro Particularibus.

Notandum 1. Quod sicut quantitas categoricarum colligitur per signa supra rela-

I.
Tot modi oppositionum in modalibus quod in absolutis.


ra, ita etiam quantitas modalium exprimitur per modos signis illis æquivalentes, *Necesse* igitur modus est universalis affirmativus æquivalentis signo *Omnis*; *Impossibile* est modus universalis negativus æquipollens signo *Nullus*; *Contingens* verò, seu *possibile* est modus particularis affirmativus & assimilatur signo *Aliquis*, vel quidam, & tandem *possibile non*, seu *contingens non*, est modus particularis negativus & valet idem ac *aliquis non*, seu *quidam non*, quòd Summulistæ his duobus exprimunt verbis:

Omnis necesse valet; impossibile, nullus; Possibile, quidam; quidam non, possibile non.

Unde quemadmodum modi dicti per omnia

æquipollent signis prædictis ita etiam eodem sibi opponuntur, quare sicut *Omnis & nullus* sibi opponuntur contrariè, ita sibi etiam contrariè opponuntur *necesse & impossibile*, & sicuti sibi contrariantur *quidam & quidam non*, ita *possibile & possibile non*, & iterum sicuti sibi contradicunt, *Omnis & quidam non*, *Nullus & aliquis*, ita contradicunt *Necesse & possibile non*, seu *contingens non*, *Impossibile & possibile*, seu *contingens*, & tandem sicut *Omnis & aliquis*, *nullus & aliquis non* subalternantur, ita etiam *necesse & possibile*, seu *contingens*, ac *impossibile & possibile non*, seu *contingens non*. Quòd ut clarius intelligas in spice appositum exemplar in folis modis consistens, quibus facile addere poteris dicta ad libitum.

II.
Signa Propositionum modalium
Quibus exprimitur signis.



Notandum 2.

Præter dictos modos diversarum appellationum earumq; oppositiones adhuc alias esse quæ versantur circa modos ejusdem appellationis & nominis, quas etiam hic adhuc parum fufius explicare volui, ita tamen ut prius explanem eas quæ constant dicto singulari, seu subiecto singulari, deinde eas quæ constant dicto communi, seu subiecto communi. Itaq; Propositiones modales *Contraria* ex dicto singulari sunt, quæ constant modo eodem universali & dictis contradicentibus: ut *Necesse est Socratem sedere*, *Necesse est Socratem non sedere*; *Non possibile est Socratem sedere*; *Non possibile est Socratem non sedere*; *Non contingens est Socratem sedere*; *Non contingens est Socratem non sedere*. item *Impossibile est Socratem sedere*, *Impossibile est Socratem non sedere*; *Possibile est Socratem sedere*, *Possibile est Socratem non sedere*; *Contingens est Socratem sedere*, *Contingens est Socratem non sedere*; *Non necesse est Socratem sedere*, *non necesse est Socratem non sedere*; *Non impossibile est Socratem sedere* &c. *Contradictoria* sunt quæ constant eodem dicto & modis contradicentibus, ut *Necesse est Socratem sedere*, *Non necesse est Socratem sedere* &c. licet in cæteris. *Subalternæ* sunt quæ constant & modis & dictis contradicentibus, ut *Necesse est Socratem esse hominem*, *non necesse est Socratem non esse hominem*; *Non possibile est Socratem sedere*, *Possibile est Socratem non sedere*; *Non contingens est Socratem sedere*, *contingens est Socratem non sedere*; *Impossibile est Socratem esse hominem*, *non impossibile est Socratem non esse hominem*. Pro oppositione autem, quæ constant dicto communi duæ regulæ assignantur, una ad modos altera pertinet ad dicta: Prima, quæ ad modos spectat, est, quòd *Contrariæ* dicto communi, constare debent modo eodem universali, *subcontrariæ* eodem particulari, *contradictoria* verò & *subalternæ* modis contradicentibus. Altera de dicto est, Quòd *contrariæ*, *subcontrariæ*, & *subalternæ*, si ex necessario fuerint, constare debent dictis contradicentibus aut contrariis, si verò ex possibili, aut contingenti, aut impossibili, tunc opus est ut constant dictis contradicentibus, aut subcontrariis, *Contradictoria* verò idem omnino dictum habere debent. Pro hujus rei majori & clariori notitia solet Tyronibus particulare schema hic apponi, verumtamen quia ex æquipollentia modalium & schematibus ibi apponendis facile oppositionem earundem intelligent, ideo illuc eos remitto; Progredior itaq; ad *Æquipollentiam*.

III.
Alii modi oppositionum.

Regule pro oppositione.

De *Æquipollentia* propositionum modalium agit Philosophus lib. de Interpret. c. 13. circa quam maximè Tyrones laborant, ut constat experientia magis eos confundi quàm juvari, attamen sequendo Summulistarum de hac materia gratiosas inventiones propter eos, qui capere non possunt, cupientes capere defraudari desiderio suo non debent; Quare animadvertite Recentiores hanc difficultatem & intricacionem enodare cupientes, excogitarunt has quatuor dictiones, *Amabilis*, *Edentulus*, *liace*, & *Purpurea*, ita ut nimirum prima dictio significaret primam tabulam, secunda secundam, & reliquæ reliquas eodem ordine; Itemq; ut vocalis *A* significaret propositionem affirmativam modi & dicti, *E* affirmativam modi & negativam dicti; *I* negativam modi & affirmativam dicti, *V* negativam utriusque, quam vocalium significationem his duobus verbis exprimunt:

Destruit V totum, verum A confirmat utrumq;

Destruit E dictum, destruit Iq. modum.

Ex quo licet colligere, quòd dicti Recentiores primas duas tabulas ex propositionibus particularium modorum constituant; posteriores verò ex propositionibus quæ constant modis universalibus, relinquendo in omnibus tabellis ultimo loco modales ex necessario fuerint

IV.
Æquipollentia explicatur.


ma vocalis cuiuscumq; dictionis significat modalem expossibili, secunda modalem ex contingenti: tertia ex impossibili, quarta ex necessario, Fundamentum eorum est potissimum, quod etiam Aristoteles sic fecisse deprehendatur, Verumtamen hoc eorum fundamentum nullum est, nam licet Aristoteles eo modo quo ipsi recentiores faciunt tabellas disposuerit, in fine tamen corrigendum esse eum modum admouit, & alio digerendum censuit, quare cum eo correctum eius modum amplectendum duxi, & primo loco modales statuere volui, quæ continentur ex necessario, deinde ex possibili, tertio ex contingenti, & ultimo loco ex impossibili, quoniam talis ordo & magis natui rerum congruit, & optime descriptioni absolutarum correspondet, hinc etiam alias dictiones afferro

descriptioni & ordinationi positæ magis accommodas, & sunt

Argutule, Veridica, sunt Atavi, qui referunt,

quarum primæ significant duas tabellas contrariarum, duæ posteriores tabellas Subcontrariarum, quæ immediate tabellis contrariarum subscribendæ sunt, ut absolutarum descriptioni respondeant, servatâ semper vocalium significatione quoad affirmationem & negationem, quod significant in Recentiorum dictionibus, Quod ut clarius fiat duo schemata subijcere volui, quorum primum continet oppositionem & equipollentiam modalium ex dicto singulari, secundum ex dicto communi, omnes autem propositiones in eadem tabella positæ sunt sibi equipollentes.

V.
proponuntur
alio termino.



C 3

Ex

VI. Ex quibus figuris facile intelliges omnem oppositionem & equipollentiam propositionum modalium: quare si aliquis te interrogaret & abs te peteret aliquam contrariam propositionem huic, Necessè est Socratem esse hominem, facile poteris quatuor assignare contrarias, hanc nimirum ejusdem generis & dictionis. Necessè est Socratem non esse hominem, & alias tres reliquorum generum & appellationum huic equipollentes, videlicet: Non possibile est Socratem esse hominem: Non contingens est Socratem esse hominem: Impossibile est Socratem esse hominem, & sic de cæteris sine ullo labore difficili.

est commutatio eorum extremorum, quæ in dicto continentur servatâ qualitate dicti, & veritate totius modalis, ut si dicas, Necessè est Socratem esse hominem, ergò necesse est hominem esse Socratem, loquor autem hic de modalibus quæ efferuntur per verba infinitiva nam in his nunquam modus potest esse subiectum etiam si in principio orationis ponatur, unde si sit transpositio in propositione tam modicam dicti, tunc non est alia commutatio quam secundum situm. De cætero convertuntur modales sicut simplices, unde etiam facile simplicium regulæ hic applicari poterunt. De oppositione & equipollentia hypotheticarum non multum curant Summulistæ, nam cum equipollentia sit adinventâ ad clarificandas propositiones obscuriores, si in illis aliquid adderetur, magis redderentur obscuræ, unde potius Tyrorum ingenia terrerent quam juverent, quare pariter ultra de iis agere omitto. Sit

VII. *Explicatur Conversio modalium.* Conversio Modalium non est commutatio extremorum principalium propositionis, ut scilicet modus qui prædicatur de dicto fiat subiectum, & dictum prædicatum, sed



DISPUTATIO III. DE INSTRUMENTIS SCIENDI.

Hactenus explicui ea quæ differendi modis communia sunt, quare nunc accedendum est ad ea quæ rem distinctè & clarè explicant, ut sunt distinctè & argumentatio, verum equidem est terminos & voces rem explicare, verum tamen id tantum confuse faciunt, ut autem illud quòd ante obscurè cognoscebatur, perfectè & distinctè imo tescat, Dialectici varias sibi ad invenerunt vias, quas modos vel instrumenta sciendi, seu differendi compellarunt, de quibus in præsentî Disputatione in communi, & etiam de aliquibus in particulari agam. Sit itaq.

QUÆSTIO I.

Quid & quotuplex sit modus sciendi.

I. **C**irca primam Quæstionis partem non multum inter se dissentiunt Authores, omnes etenim fatentur modum sciendi esse aliquid quo demonstratur ignotum ex aliquo notiori, quare etiam ad eandem partem.

quare non modò definitionem, divisionem, & argumentationem inter instrumenta sciendi numerant, verum etiam methodum seu ordinem tradendi doctrinam, Propositionem, Resolutionem & omnes intentiones secundas inter sciendi instrumenta recensent; Attamen ut nè quid nimium aut ne quid parum dicatur, sed moderata sit doctrina idèò.

II. **D**ico 1. Modus sciendi ut sic benè describitur, quòd sit oratio ex natura sua manifestativa ignoti. Ita communis Summulistarum. Probatur vulgato probandi modo, Quia omni & soli sciendi modo logico convenit, ergò benè describitur modus sciendi ut sic: probatur aut. quoad 1. p. Quia convenit divisioni, definitioni, & argumentationi, præter quos non datur alius sciendi modus ut statim dicam ergò. Probatur 2. p. antecedentis, Quia eo ipso quòd modus sciendi artificiosè, seu secundum regulas artis Logicæ manifestet ignotum, excludit alias orationes quæ manifestant ignotum, non tamen artificiosè, nec per se, sed per accidens in quantum aliquem modum sciendi in se involvunt. Hæc quoad primam partem

IV. **D**ico 2. Sumendo Instrumentum sciendi non nimis laxè, nec in omni rigore, sed propriè pro eo quòd habet vim manifestandi ignotum, seu id fiat vi illativa, seu sine illatione, modus, seu instrumentum sciendi benè dividitur in definitionem, divisionem & argumentationem. Hæc est Scoti lib. 1. prio. q. sec. quem præter communem sequitur Tartaretus cujus argumento probatur conclusio. Modus sciendi est oratio artificiosè manifestativa ignotum, quòd ignotum, vel est quid in complexum, vel complexum, si fuerit complexum manifestabitur per argumentationem, verbj gratia, ignoratur utrum homo sit risibilis, hoc sic manifestatur per argumentationem; Omne animal rationale est risibile, homo est animal rationale, ergò homo est risibilis: si verò ignotum fuerit quid in complexum, & tunc vel ignoratur ejus essentia, & sic manifestatur per definitionem, sit exemplum quòd ignoretur quid sit homo, hoc statim manifestabit definitione quæ ipsum definit quòd homo sit animal rationale: Vel ignoratur ejus partes quas mox manifestabit divisio, verbj gratia, hominis alia pars est corpus, alia anima, ergò sicuti nullum datur aliud ignotum præter assignatâ, ita nullus dabitur alius modus seu instrumentum manifestandi

III. **Q**uantum ad secundam partem magis intricatè disputatur, nam aliqui rigidiores solam demonstrationem & argumentationem fatentur esse modum sciendi hæc ratione moti, quòd putent de ratione modi sciendi esse vim illativam. Ita Zabarella, Faber; Alii e contra in modis nimis diffusi ad modum sciendi reducant omne illud quòd aliquo modo juvare potest ad manifestandum ignotum,

manifestandi ignotum. Confirmatur 1. Quia Aristoteles. 1. Anima. 8. & 1. Meta. 48. inter instrumenta sciendi numerat definitionem, & 1. de Anima. 7. annumerat divisionem, imò 1. Priorum cap. 3. eam appellat *quandam partem Syllogismi particulam*. Confirmatur 2. Quia etli methodus, Propositio & secundae intentiones conducant ad manifestandum ignotum, tamen id proximè & immediatè non efficiunt, sed mediantibus illis tribus assignatis cum quibus & resolutio, & propositio frequentissime coincidunt, nam ipso Aristotele teste Resolutio est quaedam divisio nam in proem. Phyl. 3. dicit *Posterior autem ex his nota sunt elementa & principia in qui haec dividunt, id est resolvunt, & methodus est quaedam communis omnibus dispositio necessaria praerequisita potius quam aliquis distinctus modus sciendi, ergò.*

Pro Sententia Contraria Arguitur

I. Probando solam Argumentationem esse modum sciendi, idq; autoritate Aristotelis qui 1. Prior. 1. & 1. Top. 10. de modis, seu instrumentis sciendi loquens *soliis meminit Syllogismi*, & 1. de anima 1. 8. habet *quod omnis ratio, vel est definitio, vel demonstratio* & 1. Met. 1. 48. dicit, *Omnia disciplina, aut est per demonstrationem, aut per definitionem*, in primis duobus locis excluditur definitio, in posterioribus divisio, ergò sola argumentatio est modus, seu instrumentum sciendi. R. Quòd licet Aristoteles in primis locis nullam fecerit mentionem definitionis, & in ultimis nullam divisionis, fecit tamen alibi, ut patet ex ipso Aristotele supra. Ratio autem cur nullam definitionis, vel divisionis mentionem fecerit ibi fuit, quia tunc egit de doctrina quae sit per discursum & de objecto complexo quod per argumentationem & vim illativam manifestatur ergò. In posterioribus locis autem assignavit tamen qui nam sunt principales modi sciendi, quales utiq; sunt definitio & demonstratio ad habendam cognitionem de re aliqua quid sit, quòd potest congruè fieri per definitionem etiam, Ex quibus patet Aristotelem nobis magis favere quam Adversariis, quia nunquam Aristoteles intendit aditruere ad verum & proprium sciendi instrumentum requiri vim illativam quamvis ad rigorisimum id sit necessarium, sed sufficere ut manifestet ignotum quomodocumq; id faciat, quòd praesent tam divisio quam definitio ergò.

Instatur Ratione, si ad instrumentum sciendi sufficeret manifestare ignotum quomodocumque, tunc etiam termini simplices, & omnes propositiones, & historicae narrationes, & revelationes esse modi sciendi, sed hoc est aequè contra nos qui non admittimus plures quam tres, ergò; prob. sequela, quia omnia enumerata aliquomodo ignotum manifestant ergò. R. negando sequelam ma: ejus probationem distinguo manifestant nobis ignotum distinctè & explicitè nego, in distinctè & implicitè concedo ant. & negando consequentiam. Narrationes itaq; historicae verbi gratia quibus narratur bellum Trojanum, excidium Jerosolymorum, non faciunt rem distinctè & clarè cognosci sed confusè solum & indistinctè, hac ra-

tionem etiam excluduntur propositiones absolute & secundum se praecise sumptae.

Urgetur Revelationes divinae quas

Theologi vocant evidentes, in Attestante manifestant clarè & distinctè ignotum, sicut etiam propositiones quae cum definitionibus coincidunt, ergò illae adhuc erunt modi sciendi, consequenter, aut sola argumentatio dicenda est modus sciendi, quia habet vim illativam, aut si haec non requiritur, plures erunt quam tres enumerati, R. distinguendo ant. de revelationibus, manifestant ignotum clarè distinctè & artificiosè etiam nego ant. clarè & distinctè & sine artificio concedo ant. & nego consequentiam utramq; quia non loquor hic de quacunq; certificatione & manifestatione ignoti, sed de ea quae secundum regulas artis, id est, artificiosè. Ad propositiones autem quae cum definitionibus coincidunt R. pariter dist. Propositiones tales sunt modi sciendi sub ratione qua propositiones sunt nego, sub ratione in quantum cum definitione coincidunt concedo ant. & nego consequentiam quae inde inferri potest, licet autem quoq; divisio cum definitione coincadat, ut, si daretur definitio hominis quod sit animal rationale, in qua etiam datur divisio secundum partes metaphysicas, ex inde tamen dici non potest quòd non sint modi inter se distincti, id tamen non faciunt eodem modo, nam definitio essentiam explicat, divisio partes, quare differunt non ratione objecti quod manifestant, sed ratione modi significandi,

Arguitur 2. Probando plures esse modos sciendi quam tres, idq; pariter autoritate

Aristotelis, nam 2. Meta. cap. ult. recenset inter instrumenta sciendi methodum seu modum procedendi in tradendis scientiis, ergò plures sunt quam tres. R. explicando Aristotelem, methodus est modus sciendi sumpto modo sciendi in largiori acceptione concedo ant, propriè & prout Veterani Summulistae accipere consueverunt nego ant. & consequentiam.

Quaeres Quisnam sit perfectissimus

sciendi modus inter illos tres enumeratos? R. Argumentationem in ratione modi sciendi logici praestare ceteris, si verò confideretur definitio in ratione cognitionis, tunc ipsa excellit; Patet 1. p. quia haec sola habet vim illativam quae est efficacissima ad inveniendas naturas rerum. Prob. 2. p. Quia definitio circa essentiam rei versatur, argumentatio verò circa accidens, deinde ceteris paribus nobilior est clara notitia sine discursu, quam cum discursu ergò.

QUAESTIO II.

De Definitione.

Circa Definitionem Plura inquiri

possunt & debent, nam in primis antiquitus dubium fuit num detur? nam ipso referente Aristotele 2. Post. 20. & 8. Met. 9. Nonnulli Antiqui Antisthenis sequaces docere non sunt veriti nullam prorsus dari rerum definitionem, quam tamen temeraria eorum fuit sententia vel exinde patet, quòd ceteri omnes Philosophi contrarium senserint, & insuper quia ea ab-

VI.

Iterum solvitur Aristoteles.

VII.

I.

Ingressus ad questionem.

larà

latā necesse est quōq; tollere demonstrationem, sublatā demonstratione omnis tolleretur scientia, sicq; nihil profus sciremus, quōd tamen est manifestē contra sensum & contra naturalem appetitum vigentem in omnibus hominibus ad cognoscendas naturas & quidditates rerum, quam cognitionem assequimur per definitionem, supposito itaq; tanquam indubitato dari definitionem, de ea in hac quaestione inquiremus. Quid sit? & quotuplex, quæ res defini possint, & quæ sint Regulæ seu bonæ definitionis condiciones requisitæ. Itaq;

II.
Etymon explicatur.

Quoad primum Definitio quantum ad Etymologiam nominis derivatur à verbo finio, ita quōd aliquando etiam finitio appellatur, unde quemadmodum agrorum fines ita agros finiunt & claudunt, aliosq; ab aliis fecerunt, sic definitiones quibus naturæ rerum explicantur, ita definita, seu essentia & quidditates rerum circumscribunt & claudunt, aliasq; ab aliis distinguunt ut nihilum sit essentia quod definitione non circumscribatur, quam Quintilianus describit quōd finitio sit rei propositæ propria & dilucida, & breviter comprehensa verbis enuntiatio, quæ quidem defendi posset tanquam bona, verum non puto recedendum esse à magis usurpata quæ communiter à Summulistis adhibetur, unde

III.
Describitur definitio.

DICO I. Definitio bene describitur quōd sit Oratio naturam vel essentiam alicujus rei explicans. Ita communis Post Aristotelem qui 2. Post. t. 10. eam describit quōd sit oratio quōd quid est esse rei significans, ubi per quōd quid est esse rei intelligit naturam & essentiam, quia per illam respondetur ad interrogationem factam per quid. Probatur Conclusio quia habet regulas & condiciones requisitas ad bonam definitionem, ergo, aut. patebit infrā ex dicendis, quare pro nunc declarantur hujus partes, dicitur itaq; Oratio, quōd habet rationem generis, quia in hoc convenit cum divisione & argumentatione, dicitur autem oratio, quia unum nomen solum non potest esse definitio, quia hæc cum distinctō explicare debeat id quod confusè nomen definiti importabat, unum nomen id præstare nequit, in omni namq; essentia quæ definitione explicatur, duo conceptus formari possunt, alter quo essentia quæ declaratur convenit cum aliis, alter quo ab eisdem distinguitur, hinc vox una conceptum convenientiæ altera conceptum distinctionis & differentia exprimit, adeoq; quælibet definitio oratio esse debet; Præcendit autem in definitione data ly Oratio à perfecta & imperfecta, dupliciter namq; definitio sumi potest in se formaliter, primò modò pro sola apprehensione quidditatis & essentia rei per se sumptæ quæ importatur per genus & differentiam, ut est, tō Animal rationale, respectu hominis; secundò sumi potest pro enuntiatione quæ talis essentia affirmatur de homine, dicendo Homo est animal rationale; si primò modò sumatur est oratio imperfecta, spectatq; ad primam mentis operationem, in quo sensu locutus est Aristoteles dum 1. Post. cap. 10. & 2. cap. 2. dicit definitionem non esse enuntiationem, seu affirmationem, sed esse id quod affirmatur de re. si verò sumatur secundò modò tunc oratio est perfe-

ta ad secundam mentis operationem spectans, & in hoc sensu dixit Philosophus 1. Post. cap. 2. & 7. & 2. cap. 10. definitionem esse propositionem & esse unam ex præmissis in demonstratione & interdum etiam esse conclusionem; Dicitur explicans naturam, vel essentiam rei, per quōd differt à divisione quæ non naturam, sed partes explicat, & etiam ab argumentatione, quæ est oratio unum ex alio inferens, Notandum autem est quōd id, quod definitur à Summulistis appellatur definitum, sicut id quod dividitur dicitur divisum, & id quod rem definit vocatur definitio, sit pro exemplo hæc definitio hominis, Homo est animal rationale, tō Homo est definitum, ly verò Animal rationale definitio, Ex his patet quōd si quandoque res quædam explicari possit per unum nomen verbi gratia humanitas naturam humanam, id tamen non facere distinctio & clarò modò sed confusò, adeoq; semper plures voces ad definitionem requiruntur quæ orationem faciant ad minus imperfectam, nec hoc obstat quōd definitio dicatur pertinere ad primam mentis operationem, quia oratio diminuta & imperfecta se habet per modum termini complexi prædicabilis de definito. Sed in contrā.

Arguitur, idem nequit esse definitio & definitum, ergo definitio defini nequit, patet aut. quia alioquin eadem res esset notior & ignotior seipsa, prob. consequentia, quia alioquin esset definitum simul, & simul etiam definitio, notior & etiam seipsa ignotior. R. dist. ant. Idem nequit esse definitio, & definitum formaliter concedo ant. idem nequit esse formaliter & essentialiter definitio, & definitum denominativè nego ant. & consequentiam, in secundis itaq; intentionibus non rarò evenit, ut una sit formaliter talis & alia denominativè, sic genus est formaliter intentio generis, denominativè verò est species universalis, sic pariter in proposito definitio & definitum formaliter nequeunt esse idem, possunt tamen formaliter esse definitio & denominativè definitum. Sed

Instatur si definitio defini possit, ita etiam ut definitio sit definitum denominativè, & definitio formaliter, sequeretur processus in infinitum, sed hic in nulla bona Philosophia est admittendus, ergo: probatur sequela, illa iterum definitio defini deberet, & sic de cæteris ergo. R. dist. seq. si definitio definitur in actu exercito concedo sequelam, si definitur in actu signato, id est, pro secunda intentione sumpta nego sequelam majoris. Itaq; non sequitur inde processus in infinitum, quia omnes definitiones in actu exercito continentur sub ipsa definitione in actu signato, & consequenter etiam ipsius definitionis exercita, quia & definitio definitionis est definitio quædam, & definitio quæ traditur de definitione in actu signato convenit illi. Hæc quoad primam partem.

Accedendo ad 2. p. Occurrit statim solemnissima divisio definitionis, in definitionem quid nominis & quid rei, quemadmodum enim rerum naturæ explicari solent, ita etiam vocum significationes utilissimè declarantur, nam teste Philosopho 1. Post. 1. & 4. Meta. 7. & 8. t. 28. Hoc genu definitio non modo necessarium

IV.
Idem nequit esse definitio & definitum formaliter, bene tamen denominativè.

V.
Definitio quid nominis & quid rei.

serium est ad aliquid demonstrandum, sed etiam cuiuslibet disputationis initio præfigendam; Definitio itaq; nominis, quam Aristoteles 2. post, cap. 10. Nominis interpretationem vocat, est Oratio quæ quiddam nominis, & natura eius explicatur, Per nomen autem non intelligo eam vocem prout à verbo distinguitur, sed omnem dictionem, & per quidditatem, ejus significationem. Ad hoc genus reducuntur omnes illæ orationes quæ vocabulorum originem declarant, ut dum dico: *Dux est, qui ducit exercitum. Consul, qui Reipublicæ militari consultat. Mulier quasi molis aer, Sol est, qui inter astra solus lucet, Fides quæ fit quod dicimus, Abstinentia quæ abstinet à remeto*, quas Græci vocant *εὐνοίας ὀνόματα*, seu veriloqua. Definitio quid rei est, quæ naturam & quidditatem rei explicat, ut dum dico: *Homo est animal rationale.*

& conversim de re prædicatur, ut *animal disciplina capax* respectu hominis. Ita Aristoteles, cujus sensus est, quod fiat semper per aliqua extranea quæ essentiam rei ipsam non ingrediuntur. Hujusmodi definitiones descriptivæ tripliciter fieri possunt, Primò quod res describuntur per suas proprias passiones, ut si describeres hominem quod sit *animal risibile*; Secundò modò, per multa accidentia collecta communia quidè aliis seorsim sumpta, propria tamèn alicui rei si non seorsim sumantur, sed collecta simul: ut si dicas, quòd homo sit *Animal imptume, bipes, pulchrum caput habens, erectum, &c.* quæ accidentia quamvis etiam aliis conveniant separatim sumpta, attamen collecta simul soli conveniunt homini, ad hoc genus descriptionis pertinent omnes illæ orationes quibus Oratores & Poætæ utuntur dum fufius rem aliquam explicant, unde Cicero gloriam quasi describens ait, pro Milone: *Gloria est, quæ brevitatem vitæ, posteritatis memoria consolatur, quæ efficit ut absentes adsint, mortui vivant, cujus deniq; gradibus etiam homines cælum videntur ascendere*, hujus generis etiam est descriptio quæ Virgilius quart. Æneid. famam depingit dicens, *Fama malum quo non velocius ullum, mobilitate viget viresq; acquirit eundo*, Universim deniq; huc revocantur omnes illæ orationes quas tam Philosophi quàm Oratores & Poætæ adhibent in describendis personis, Regionibus, urbibus, fluminibus, montibus, fontibus, &c. Tertio deniq; modò, quando aliquid describitur per causas extrinsecas (nam per intrinsecas formalem scilicet & materialem ad definitionem essentialem pertinet) *finalem & efficientem*, & sic hoc modo sumpta descriptio definitur communiter, Quòd sit oratio explicans quidditatem rei ex genere & causa aliqua, causivæ externis, Ex quâ descriptione patet quod res describi posset per solam efficientem, aut per solam finalem, vel per utramq; simul, Prima definitione describere poteris hominem quòd sit *animal creatum à Deo*, Secundo modo si dicas, *Homo est animal creatum ad æternam beatitudinem acquirendam*, Tertio deniq; modò si dicas, *Homo est animal à Deo creatum ad acquirendam æternam beatitudinem*, Prima verò est valde imperfecta descriptio utpotè omnibus creaturis communis, quare semper perfectius est aliquam rem ex omnibus causis simul describere quàm ex una sola. quia una sola rarò si nihil addatur contrahit genus ad speciem definiti.

Est in tripliciter differentia.

Definitio quid Rei Prima divisione dividitur in *essentialem & descriptivam*; Definitio *essentialis*, quam Aristoteles non nunquam simpliciter & absolute *definitionem* appellat, aliquando terminum ex eo quòd tota cognitio ibi terminetur nominat, & aliquando orationem quæ unum significat, id est, unam essentialem ex materia & forma, genere & differentia, & non ex genere & proprietate, aut ex genere & accidentibus ut facit descriptiva, declarat, nominat, est oratio quæ cujuslibet rei essentia & natura secundum prædicata intrinseca explicatur, Quæ iterum duplex est, *Physica scilicet & Metaphysica*; Physica est, quæ fit per partes essentielles Physicas nempe per materiam & formam, ut cum homo definitur, quòd sit *compositum constans ex corpore & anima rationali*; Metaphysica verò est, quæ fit per partes essentielles Metaphysicas genus scilicet & differentiam, ut cum homo definitur quod sit *animal rationale*. Definitio essentialis alio modo subdividi potest in *puram & mixtam*, *Essentialis pura est*, quæ fit per partes essentielles, seu Physicas, seu Metaphysicas tantum, ita ut sine ullo ordine, vel respectu, aut habitudine ad aliquid extrinsecum declarantur; *Mixta verò est*, quæ ita essentiam rei declarat, ut tamèn aliquod extrinsecum involuat per ordinem ad quòd explicetur, & hoc contingere potest tripliciter, primò. Quando relatio explicatur per respectum ad terminum, verbi gratià *Pater* per ordinem & respectum ad *Filium*; & *Filius* per respectum ad *Patrem*; Secundò modò quando accidens definitur per ordinem ad subiectum, & tertio quando anima per ordinem ad corpus, & potentia per ordinem & habitudinem ad objectum suum, ut si describere, vel definire velles visum, quod sit sensus externus, quò res lucidæ & coloratæ percipiuntur.

Definitio quid Rei Descriptiva, seu non *essentialis*, quam Aristoteles *Descriptivam* aliquando vocat, quia rei naturam non omnino exprimit, sed quibusdam quasi lineamentis depingit, ali quando proprium dicit, quia habet commune cum essentiali quòd dicatur ad convertentiam, & non nunquam orationem conjunctione unam appellat, quia non unam omnino naturam duntaxat, sed quasi plures in eadem re conjunctas explicat, Est Oratio quæ non significat quòd quid erat esse rei, soli autèm inest

F. Amandi Hermann Logica.

Conditiones & Regulæ sequentes: Prima est ut quidquid definitur, definitur ex notioribus; Ratio est, quia definitio instituta est ad explicandam essentiam & naturam rei distinctè & clarè, adeoque frustranea esset nisi ipsa clarior esset definito, dicitur autem definitio clarior suo definito, quando conceptus formalis illi correspondens clariùs & expressiùs naturam rei representat, quàm conceptus formalis illius nomini correspondens, hinc est quòd bona sit definitio hominis quòd sit *animal rationale*, quia *ly animal rationale* clariùs exprimit essentiam hominis, quàm conceptus correspondens huic voci *homo*; Econtra verò contra hanc regulam peccant qui in definiendis rebus utuntur terminis & verbis translatis, præsertim

VIII. Prima regula est ut definitio fiat ex notioribus.

VII. Definitio essentialis

Definitio essentialis

VII. Definitio descriptiva



tim remotis & difficilibus, ut si quis definiret hominem quòd sit *Arbor inversa*; Item ille qui adhiberet verba ambigua, ut si quis volens describere litteram eam appellaret *Elementum primum*, nisi fieret aliqua additio per quam denotaret se velle litteram exprimere & definire, ut si quis datæ definitioni adderet particulam *sermonis*, nam hæc particula ambiguitatem tollit, & sic de cæteris. Idem peccat Contra hanc regulam qui idem definiret per seipsum, nam nil notius est seipso, & quamvis hoc rarò accidat sed implicite tamen contingere potest, ut si quis definiret hominem quòd sit *animal humanum*; Deniq; contra delinquit qui unum contrarium per suum contrarium definit, ut si quis definiret *bonum quod illud sit quod est malo contrarium*, cuiusmodi etiam sunt illa, *Virtus est fugere vitium*, *Prima sapientia est stultitia caruisse*, Ratio est quia contrariorum eadem est scientia & cognitio. Sed Contra hanc conditionem & regulam sic

IX.

Arguitur, Unum relatum per aliud definiri debet ut docent Philosophi communiter, sed unum relatum non est notius alio, ergò non semper est necessarium ut definitio sit notior suo definito, prob. mi: quia relata sunt simul natura, sed quæ simul natura sunt unum est æq; notum ac alterum vel æq; incognitum ac alterum, ergò *ix*. Negando ma: nam unum relatum non definitur per aliud, sed per respectum suum qui in illud alterum relatum terminatur ac definit, verbi gratiã Pater non definitur per filium, sed per respectum qui in Patre inchoatur & in filio definit, unde quia nullus respectus intelligi potest sine suo termino, hinc fit ut quia respectus Patris intelligi non possit sine filio, filius necessariò ponatur in definitione Patris, & Pater in definitione filii; Itaq; dictum Philosophorum non accipiendum est proprie, seu quasi dicant necessariò unum in definitione alterius poni debere, quamvis ergò relata sint æq; nota aut æq; ignota, respectus tamèn in quantum distinctè concipiuntur conceptibus generum & differentiarum, ex quibus constant, sunt naturæ ordine notiores.

X.
Debet esse
propria de-
finitio.

Secunda Conditió est ex Aristotele 6. Top. 1. *Ut sit propria definitio*, hoc est ut nec latius pateat quàm definitum, nec minus late, sed cum eo dicatur ad convertentiam, Ratio est quia definitio debet distinctè explicare naturam rei, ergò non debet magis vel minus extendi quàm ipsa natura & quidditas quam explicat, Contra hanc regulam is peccat qui adhibet tales descriptiones quæ etiam aliis rebus competunt, ut si diceret, quod *Equus sit animal quadrupes*, terra *Elementum quod ex natura fertur deorsum*, item is qui rem definit per illud quod non competit omnibus, ut si quis diceret, *Equus est animal serox bellicosum*, quia id non competit omnibus equis, & universim communiter contra hanc regulam peccatur in Interpretationibus nominum, & descriptionibus Rhetoricis & Poëticis.

XI.
Debet con-
sistere genere
& differen-
tia

Tertia Conditió est ut Definitio constet genere & differentia, vel saltèm aliquo sup-
plente genu & differentiam quod additur propter

definitionem accidentalem, in quà genus & differentia proprie non reperitur, sed aliquid ponitur quòd vices eorum supplet, Ratio est, quia definitio, ut supra dictum est, duobus conceptibus constare debet, quidditativo uno, qui explicat essentiam, quantum ad id in quo cum aliis convenit, & tenet locum generis, & quidditativo altero, qui explicat essentiam rei quantum ad ea in quibus ab aliis distinguitur, & tenet rationem differentia.

Quarta Conditió est, ut non sit *XII.*
manca vel superflua, seu ut nihil contineat quòd *Ut non sit manca, vel superflua,*
superfluum esset, nec aliquid omittat quòd necessariò adesse deberet; Ratio prioris est, quia sic facile occasio præberetur errandi, nam si illud superfluum intrinsecum esset quòd jam antea expressum esset, tunc cogitare quis posset unum idemq; attributum diversimodè expressum duo esse attributa: si verò esset aliquid extrinsecum, tunc facile quis suspicari posset, quod taliter superflue definiens existimaret illud superfluum extrinsecum esse intrinsecum & de essentia rei, unde contra hoc peccat is qui hominem definiret quòd sit *animal rationale bipes*, quia etsi auferretur *ly bipes*, adhuc sufficienter exprimeretur natura & quidditas hominis. Ratio posterioris est, quia definitio instituta est ad explicandam essentiam rei totam distinctè, ergò nihil prætermitti debet, tam ex parte generis, quam ex parte differentia, quare contra faceret is, qui adhibito genere remoto non poneret omnes differentias intermedias, ut si quis definiret hominem quòd sit *substantia rationalis*, tum quia per hoc non sufficienter distingueretur ab angelo, tum quia non exprimeretur ratio corporis, viventis, sentientis, &c. quare monet Aristoteles 7. Top. 3. Aut definiendum esse genere proximo ut diceo, *Homo est animal rationale*, aut si quis remoto definire vult omnes differentias intermedias a genere usq; ad definitum repectas adiungendas esse, verbi gratiã definiendo hominem. Quod sit *substantia corporea, mortalis, vivens, sentiens, & rationalis*. Notandum porò est nonnunquam plura posse poni verba quàm necessaria sint maximè majoris claritatis gratia, & etiam nonnunquam aliqua omitti. Unde est

Quinta & ultima Conditió, *XIII.*
Debet esse brevis.
Scilicet *ut sit brevis*, modò brevis talis sit, quæ non pariat obscuritatem, Ratio est, quia definitiones rerum potissimum in disputationibus adhibentur, ergò tales esse debent ut facile retineri in mente & repeti possint. Contra hanc regulam peccat qui tot particulas ad definitionem congerit quod sunt difficultates in re quæ tractatur & definitur, quamvis nonnunquam ad eludendos Sophistas non sit abs re rem pluribus verbis definire, prout fatetur Aristoteles 1. Peri. 4. se longiori oratione elenchum definiuisse. 1. Elench. 4.

Hæc de tribus prioribus partibus *XIV.*
quæ in hac quæstione explicandas assumpsi, nunc ad ultimam progrediendum est, quæ potius est de definito quam de definitione, in ea namq; examinari debet quidnam definiiri possit, quam difficultatem Conclusionè resolvo &
Dico

Dico 2. Ut aliquid definiatur debet esse ens reale positum, per se, aliquid completum, specificum & universale. Hæc est Philosophi pluribus in locis quam etiam reliqui Summulista & Doctores ejus autoritate inducti sequuntur, ut superfluum sit plures citare. Probatur Itaq; Conclusio quoad primam partem, Quia ut Aristoteles docet 1. Top. cap. 4. Definitio est oratio verum esse significans, id est essentiam & naturam rerum explicans, sed illud quod non est reale & positum non habet tale esse verum, veramq; essentiam & naturam, ergo non potest defini definitione propria nisi ens reale & positum, quod adhuc Confirmatur, quia vera definitio debet constare genere & differentia, sed quæ non sunt entia realia & positiva non habent genus & differentiam, ergo defini nequeunt. Hinc colligitur negationes, privationes, & entia rationis non posse verè & propriè defini, sed tantum definitione in largiori acceptione, seu ut dicit Aristoteles 2. Post. definitione quid nominis, Ratio est, quia non habent verum esse & veram quidditatem, alio tamen modo largiori defini possunt scilicet quatenus explicari potest conceptus aliquis unus in anima differentia & genere constans, quia concipi possunt per modum veri entis, habentq; suum genus & speciem privativam, & hoc modo explicantur omnes intentiones logicales, quæ definitiones sufficiunt ad gignendam veram scientiam, alioquin logica scientia non esset.

Probatur secunda pars, quod nempe debeat esse ens per se, id est ens unum unius essentia, Quia definitio Est veluti imago expressa essentia quam definit, ergo si non fuerit unum per se, non poterit una imagine & definitione representari, probatur consequentia, quia si posset sic representari deberet posse demonstrari passio aliqua quæ definitioni responderet, sed non potest assignari talis passio una, ergo: prob. minor accipiamus hoc est ens per accidens Homo albus, ab hoc ente non potest fluere aliqua una passio quæ æqualitèr homini & albedini competeret, ergo non potest assignari aliqua una passio, probatur ant. ubi cumq; sunt essentia & quidditates omnino diverse, ab eis non potest emanare & fluere aliqua una passio quæ æqualitèr utriq; competeret, ut de se est evidens, sed hæc sunt essentia omnino diverse, ergo. Non negandum tamen est quin possint talia entia per accidens pluribus definitionibus explicari, ita ut quælibet res suam propriam definitionem fortiretur, ut si defines hominem album, quod sit Animal rationale infectum colore disgregante visum, repugnat tamen quod unica definitione explicetur, cum constet ex rebus distinctis & accidentaliter unitis. Ob eandem rationem dicitur cum Aristotele 6. Top. 2. & 5. Æquivoca defini non posse nisi prius distinguantur quia non significant unam tantum naturam & essentiam, sed multas.

Probatur tertia pars Ex Aristotele 8. Met. cap. 9. ubi dicit definitionem esse orationem longam exprimentem quid & quale, ergo
F. Amandi Hermann Logica.

ut aliquid definiatur debet esse saltem metaphysicè completum & specificum, probatur consequentia, quia definitio bona ut patet ex datis regulis debet constare genere & differentia, seu ratione conveniendi & ratione disconveniendi, sed genus & differentiam seu conceptum conveniendi & disconveniendi non habebit nisi fuerit aliquid specificum, ergo. Hinc est quod nonnulli excludant Deum & genera generalissima à vera definitione, attamen videtur cum Doctore post Aristotelem 9. Met. t. 11. Deum & genera generalissima defini posse, Ratio est, quia licet non constent genere & differentia quod alii Authores necessarium autumant simpliciter, adhuc tamen non sunt simpliciter simplicia, sed resolvable in superiores conceptus, quidditativum scilicet & qualitativum, ergo adhuc possunt defini, probatur conseq. quia definitio debet constare genere & differentia, vel ex proportionalibus & æquivalentibus ut docet Aristoteles loc. cit. sed Deus & genera generalissima habent tales conceptus proportionales & æquivalentes ergo, unde dicit Doctor duplicem dari definitionem quidditativam, unam quæ sit per ens & modum intrinsicum, & sunt definitiones generum generalissimorum, alia quæ datur per genus & differentiam, & de hac dicitur quod sola species (intellige tam de subalterna quàm infima) definiatur. Quare doctor à vera & propria definitione excludit solum illa quæ habent conceptum simpliciter simplicem, ut sunt transcendentia & ultimæ differentia rerumque proprietates, quæ tamen quodammodo adhuc describi possunt.

Probatur deniq; ultima pars.

Quia definitio debet esse rei immutabilis, sed sola universalia sunt immutabilia, ergo sola universalia defini possunt. probatur major: Definitio omnis est ordinata ad acquirendam scientiam, estq; veluti ejus fundamentum, sed ad scientiam non pertinent nisi res immutabiles ergo, probatur etiam minor, Quia homo nunquam definit aut destruitur nisi ex ratione singularium, nam idè dicitur homo nasci, mori, & interire, quia Socrates, Plato & Aristoteles moriuntur & definiunt &c. ergo homo de se non mutatur, sed ratione singularium tantum in quibus natura humana inest.

Quæres: Quomodo possit inveniri ac investigari exacta definitio? Plato duas investigandi definitionem methodos posuit, scilicet per Divisionem & Collectionem, quas vias quidem Aristoteles omnino non probat, asserit tamen per eas definitionem comprehendi posse, & primò quidem modò divisione scilicet sic, sumatur primò id quod communius est magisq; latè patens quàm res definienda, deinde illud ipsum dividatur, cui differentia quæ ei convenit addatur, quod si tunc nõdum cum re proposita convertatur illud quod assumptum est, tandiu dividatur usque dum convertatur cum illa re definienda, verbi gratià si velis definire hominem, accipias primò aliquod genus hominis verbi gratià substantiam, quæ omnium

Debet esse universale.

XVI. Dividenda & colligendo invenitur exacta definitio.

latissime patet, dicendo homo est substantia, sed quia hoc soli homini non convenit sed etiam angelo, addes est substantia corporea, ubi tamen statim advertes non solum hominem esse substantiam corpoream sed etiam lapidem, dices, homo est substantia corporea vivens, nec hoc adhuc sufficere videbis cum etiam plantae vivant, unde addes vivens & sentiens, sed & hoc commune adhuc est brutis & bestis, hinc necessarium addere debebis rationalis, quo facto videbis totam hanc collectionem converti cum homine, qui verè describitur quod sit substantia corporea, vivens, sentiens & rationalis. Secundò modò videlicet per Collectionem inquiritur definitio sic; Sumantur individua alicujus speciei infimae rei, videlicet definiendae & considerentur exactè praedicata in quibus illa inferiora conveniunt, aliis quibuscunq; seclusis, illa praedicata singillatim expressa erunt definitio rei propositae, verbi gratia si velis definire hominem, statuas tibi ante oculos Petrum, Paulum & Joannem &c. & videas in quibus illi essentialiter conveniant, & statim videbis quod essentialiter conveniant praecisè quibuscunq; aliis per animalitatem & rationalitatem, adeoque definitionem habebis quod homo qui est species infima sit animal rationale. Quòd si alicui hi modi investigandi definitionem non placent, consulat Galen. lib. 1. de sanit. tuenda. & lib. 1. de differentia morb. ubi alium insinuat modum quem etiam observasse Doctorem docet Maltrius, Primò igitur accipe etymologiam nominis rei definiendae, quam ad omnem scientiam & cognitionem ex Aristotele ante omnia necessariam docui supra, secundò considera sub quo genere res definienda contineatur, quòd facile apprehenditur ex proprietatibus generis, Deniq; inquiri debet quae differentia insit rei, & hoc fit vel inductione vel per demonstrationem *Quia*. Et haec de definitione dixisse satis fit.

QUAESTIO III.

De Divisione.

I.
Notius primus tractatus de divisione.

Aliqui opinati sunt esse idem dividere & definire.

Ex Antiquioribus pauci apprehenduntur qui de divisione egerint si Boetium excipias qui hujus materiae dux est, Eumq; ut talem Recentiores sequuntur communiter, maxime ad illa quae scripsit in libro de Divisione, de qua etiam hic tractaturus eadem quasi examinare cogito quae examinata fuerunt de definitione in praeterita quaestione scilicet quid & quotuplex sit divisio? quaeq; conditiones ad eam requirantur. Quare etiam ordinatè procedendo ad primum, sciendum, sicut aliqui omnem omnino definitionem negarunt, ita nonnulli existere qui asseruerunt Definitionem & divisionem non esse distinctos sciendi modos, putantes perinde esse hominem dividere in animal & rationale, ac illum definire animal rationale, Verum licet hoc concedi posset velut apparet verum quando utraque fit per partes essentielles, attamen generatim falsum est, quia nullus dicit veram esse animalis definitionem hanc divisionem quae animal dividitur in Rationale & irrationale, Imò ut proprius loquar nec tunc coincidunt quando utraq; fit per partes essentielles, nam maxime discrepant

in modo, nam definitio ex ratione sua considerat partes formaliter unitas, divisio verò considerat eas singillatim, praescindendo ab unione sine eo quòd consideret eas tanquam constituentes actu totum, Deinde divisio considerat partes, seu membra dividentia tanquam illa quae aliquam inter se oppositionem habent, definitio verò solum explicat naturam rei clarè, & demonstrat quidditatem in una cum aliis convenire parte, non verò convenire in altera. Ex quibus clarè liquet definitionem & divisionem distinctos esse sciendi modos, unde ad primum quòd quaeritur

DICO I. Bene definitur divisio quòd sit Oratio

totum in suas partes distribuens. Est communis & probatur explicando ejus partes. Dicitur Oratio, quia est modus sciendi, qui ut distinctè & clarè rem aliquam manifestet, non uno vocabulo, sed pluribus fieri debet, habet autem hanc particula ratione generis, in ea namq; convenit cum definitione & argumentatione; Potest etiam Oratio hic dupliciter sumi tam pro imperfecta quam pro perfecta, ad modum quo eam explicui tractando de definitione, cum hac tamen differentia, quòd quemadmodum ibi tandem conclusi magis proprie in definitione sumi pro Oratione imperfecta, ex eo quòd spectet ad primam mentis operationem, ita e contra hic magis principaliter sumitur pro Oratione perfecta, nam ex communi sententia ad secundam mentis operationem spectat quia tunc intellectus proprie dicitur dividere, quando affirmat totius partes esse hanc & illam, non verò quando simpliciter sine affirmatione apprehendit. Dicitur Totum in suas partes distribuens, id est distribuendo manifestans, quod habet rationem differentiae, nam sicut definitio quidditatem rei explicat, & argumentatio qualis res sit, seu rei proprietatem & qualitatem rei, ita divisio manifestat quantum res tota contineat, seu quantitatem per partes extendit.

Ubi nota quòd quamvis in omni divisione detur totum quòd dividitur & dicitur

conjunctè divisum, & partes in quas illud totum dividitur, quae ordinatè appellatur membra dividentia, illud totum illasq; partes non semper debere habere veram rationem totius & partis, sed quandoq; fieri per imitationem quandam totius & partium, ut contingit in divisione quae subiectum in accidentia dividitur, quia nec subiectum est verè totum in ordine ad accidentia, nec accidentia partes in ordine ad subiectum, sed quia accidentia faciunt unum per accidens ad modum veri totius, quòd sufficit ad explicandam & efficiendam divisionem eam, scilicet quae est per accidens, ut pauli post dicam. Haec itaq; pro primo sufficiant, ut autem multipliciter divisionis quae est altera pars in hac quaestione examinanda explicem.

Advertendum Totum quòd dividit

potest multiplex esse, cujus multipliciter sequitur etiam multipliciter divisionis, nam totum primò aliud est quid nominis, aliud quid rei; Quid rei aliud est per se, aliud per accidens; per se est, quòd constituitur ex partibus per se unitis; per accidens verò est, quòd merè vinculo aliquo accidentali partes suas habet ad unatas. Totum per

II.
Describitur divisio.

III.

IV.

Totum divisible aliud est quid nominis, aliud quid rei, quòd rei nomen subditur.

per se iterum aliud est universale, quod quidem actu partes non habet, habet tamen subiectivas, de quibus veluti de subiectis prædicatur, unde alio nomine vocatur totum potentiale; Totum actuale est quod actu in se partes continet, & iterum subdividitur in *essentiale & integrale*; Totum integrale est, quod habet partes quæ licet essentiam non ingrediantur, spectant tamen ad ejus integritatem; *Essentiale* verò est aliud *Physicum*, aliud *Metaphysicum*; Totum *essentiale Physicum* est, quod habet partes *Physicas*, *Metaphysicum* verò, quod constat partibus *Metaphysicis*, & juxta hanc multipliciter totius dividitur divisio.

Primò in divisionem *quid nominis & divisionem quid rei*. *Divisio quid nominis* est oratio in qua terminus unus, aut plures in suas significationes, vel sensus dividitur. ut si dicas hujus vocis *Canis* alia est significatio quæ significat bestiam latrabilem, alia quæ significat belluam marinam, & alia quæ significat sidus cœleste, & hujus orationis *litus aras*, alius est sensus, quod litus aratro percindas, & alius, quod operam perdas. *Divisio quid rei* est qua aliqua tota res in suas partes dividitur, & quia dixi multiplex esse totum id eo

Divisio Rei Dividitur iterum in *Divisionem totius universalis, Essentialem, Physicam, Metaphysicam & Integrale*. *Divisio totius universalis* est, quando illud dividitur in partes sibi subiectas quas sub se & in potentia continet, seu ut loquitur Aristoteles, in partes de quibus prædicatur, ut de subiectis; Et talis est divisio generis in species & speciei in individua, atq; Differentiæ in species, aut individua, hæc enim omnia ac sola prædicantur de suis partibus ut de subiectis, accipe exemplum primi modi, *Animalium aliud est homo, aliud brutum: hominum alius est Petrus, alius Paulus, & sic de cæteris. Animantium alia sunt animalia, alia plantæ, Rationalium alius est Petrus, alius Joannes.* *Divisio Physica* totius essentialis est quæ totum essentialis dividitur in partes *Physicas*, seu in materiam & formam, ut si divides hominem in *corpus & animam*, ubi corpus rationem habet materiæ, anima rationem formæ. *Divisio Metaphysica* totius essentialis est, quæ totum essentialis dividitur in genus & differentiam, qualis est dum dico, quod hominis alia pars fit animal, alia rationale. *Divisio demiq; totius integralis* est quæ totum aliquod materiale dividitur in partes ipsium integrantes, ut membra corporis humani integrant hominem totum, & Ordines Republicam totam, hæc autem juxta variam naturam partium iterum subdividitur in eam quæ totum dividitur in partes cognatas similes, seu ejusdem naturæ & homogeneas, ut si dividatur caro in plures partes, aqua in plures aquas, aer & cætera corpora simplicia: & in illam quæ totum dividitur in partes multigenas & dissimiles, seu diversæ naturæ & heterogeneas, ut partes corporis humani & partes domus, nam neque caro ejusdem naturæ est cum ossibus, nervis, &c. nec calx, lateres, ligna & lapides, & hac divisione dividuntur quantitates, discreta animalium corpora & alia multa, tum à natura, tum ab arte composita. In dubium tamen vertitur num

hæc sint datæ bonæ divisiones quod quoq; Resolvo &

DICO 2. *Benè dividitur divisio in præallegata membra, licet non sint immediata.* In re videtur esse communis licet ab Authoribus in terminis non sic proponatur. Prob. Conclusio. Quia quidquid in rerum natura dividitur divisione per se, aut est vox multiplex, habens nimirum plures significationes & sensus, aut res continens in se plures partes; si vox, aut sensus, habetur divisio quid nominis, si verò est res quæ multas partes continet, aut comparatur cum partibus à quibus integratur, aut cum iis à quibus secundum essentiam constituitur, aut cum partibus sibi subiectis, si cum his tanquam sibi subiectis est divisio totius universalis, si verò cum iis à quibus secundum essentiam constituitur physice, est *Physica*; si verò cum iis à quibus metaphysice constituitur est *Metaphysica*, si deniq; cum iis comparatur à quibus integratur, est divisio totius integralis, sed non datur alius dividendi modus qui huc revocari non possit, ergo divisio partitur benè in illa quinq; data membra. Dixi in Conclusionem licet non sint immediata. nam fortè secundum id quod enumeravi diversitatem totius ita etiam divisionem rei recensere debuisset, atq; ad eò Divisio rei prius dividi debuisset in *Universalem & Actuale*, *Actualis* in *Essentialem & non Essentialem*, *Essentialis* in *Physicam & Metaphysicam*, *Non essentialis*, seu *Integralis* tandem in *Homogeneam & heterogeneam*, attamen hic non est novus dividendi modus, ut principalia membra dividenda recenscantur prætermis intermediis, quæ vel supponuntur, vel ad rem non ita pertinere videntur, quare desuper nullus inficiabitur.

Restat nunc motum facere ad divisionem atq; multipliciter Totius per Accidens, & in primis videtur non incongruè tot modis partiri, quod divisio totius per se, nam in primis videtur quòd *divisio nominis æquivoci, aut orationis æquivoca* pertineat ad divisionem totius per accidens, nam si plura significata habet, cenletur vox cuilibet subiecto inherere & advenire per modum accidentis, quod maxime verum apparet in orationibus illis, quæ nullam habent connexionem ad aliquod unum significandum potius quam aliud, qualis est illa dum dico, *Audivi Græcos vicisse Trojanos*, quæ æq; significat quòd Græci vicerint Trojanos, & quòd Trojani Græcos, deinde ad similitudinem totius integralis potest fieri talis divisio, dicendo verbi gratià de annulo ex auro & jaspide confecto, hujus annuli alia pars est fulva, alia pellicuda, & sic de cæteris. Verum quia tales divisiones ut plurimum reducuntur ad divisionem subiecti in accidentia, idè cum communiore *Dialecticorum* sententia teneo *Divisionem totius per accidens tripliciter* partiri posse, scilicet cum, aut *subiectum dividitur in accidentia*, aut *accidens in subiecta*, aut *accidens in accidentia*. Tunc est *divisio subiecti in accidentia* cum membra dividenda accidunt partibus subiectis divisi, ut si dicas, *Animalium aliud gannire potest, aliud non potest gannire, item aliud est rectum, aliud pronum; aliud aptum est ad risum, aliud ad latratum, aliud ad*

VII.
Divisio benè dividitur in universalem Essentialem Physicam, Metaphysicam & integrealem.

XIII.
Divisio totius per accidens est etiam multiplex.



hinnitum, hæc namq; omnia membra dividenda accidunt partibus subjectis animalis, ut potè animalibus diversis. Tunc autem divisio est *Accidentis in subjecta* cum membris dividendis accidunt partes subjectæ divisi, ut si dicas: *Eorum quæ moventur quedam sunt cæli, quedam mixta, item bonorum alia sunt in anima, alia in corpore, alia in bonis externis: Colorum aliu est in Cygno, aliu in Corvo, aliu in aliu*, hic econtrario vides membra dividenda esse res quibus accidunt partes subjecti divisi nam aliquod moveri accidit cælis, aliud elementis, aliud mixtis. Tunc deniq; est *divisio accidentis in accidentia*, cum membra dividenda accidunt partibus subjectis ejus rei cui accidit divisum, ut si dicas, *alborum quedam sunt dura, quedam mollia, quedam liquida*, membra enim dividenda hujus divisi accidunt diversis corporibus, ut marmor, adipi, lacti, quæ sunt partes subjectæ corporis cui accidit ut sit album. Notandum tamen ut hæc sint bonæ divisiones, quod membra dividenda non debeant esse per se partes divisi, nam si fuerint per se partes divisi, seu de essentia, tunc non erit divisio per accidens, sed totius universalis, seu potentialis, ut si quis diceret, *Coloratorum aliud est album, aliud nigrum*, esset enim idem ac si diceret, *Color alter est albedo, alter nigredo, &c.* debent ergo semper divisa accidere membris dividendis, ut sit legitima divisio.

IX.
Membra dividenda minus debent continere quam divisum.

Conditiones & Regulæ Ad bonam divisionem potissimum recensentur quatuor, quarum prima est ex Aristotele 2. Post. 5. Ut singula membra dividenda minus contineant quam totum divisum, omnia verò simul sumpta ut totum adæquent, hinc non bene daret quis divisionem, si quando diceret, *Animal aliud est sensiens, aliud rationale*, quia *sensiens* æq; latè patet ac *animal*; nec ille qui diceret. *Animalium aliud est bipes, aliud quadrupes, aliud plures habens pedes*; item *aliud est bestia, aliud homo, aliud angelus*, prior divisio quidem mala est ideò, eò quod divisum magis latè pateat quam membra dividenda simul accepta; posterior verò ideò, quia membra dividenda simul accepta latius patent quam divisum. Ratio quidem hujus Regulæ quo ad primam partem est, Quia omne totum est majus sua parte; quoad partem posteriorem verò, Quia in toto syntheticè sumpto ut à divisione attingitur non est aliud quam omnes suæ partes simul. Sed in contra

X.

Arguitur Hæc est bona Metaphysica ut si dicas, *hominis alia pars Metaphysica est animal alia rationale*, sed in hac divisione ly *Animal* magis latè patet quam homo ut est clarum, ergò ad bonam divisionem necessarium non est ut singula membra dividenda minus latè pateant quam divisum. R. concedendo ma. & dist. mi. *Animal* excedit & magis latè patet quam homo in ratione totius universalis & potentialis concedo mi. in quantum animal habet rationem partis Metaphysicæ nego mi. In hac ratione igitur exceditur animal ab homine, unde Regula in isto sensu quoq; est intelligenda.

Instatur Hæc est bona divisio, *alborum quedam sunt dura, quedam mollia, & quedam liquida*, sed in hac divisione nullum membrum est aliquod totum universale respectu albi &

tamen omnia simul sumpta excedunt & magis latè patent quam divisum, ergò distinctio nulla, probatur mi. quia illa membra dividenda prædicantur etiã de rebus nigris, ut de ebeneo, pice & atramento, nam certum est ebeneum durum esse, picem mollem, & atramentum liquidum, ergò. R. I. quoad I. p. negando mi. Quia durum verbi gratiã æq; bene prædicatur de albo ac eontra, nam bona est divisio, si dicas, durum aliud est nigrum, aliud album, unde bene subsistit adhuc data distinctio, sed R. secundò distinguendo alteram partem mi. si omnia illa membra sumantur collectivè sine respectu & ordine ad album concedo mi. si sumantur cum ordine & respectu ad album nego mi. Ita; licet durum, molle, & liquens magis latè pateat quam album si nihil aliud sub his nominibus intelligas, tamen si in uno quoq; subaudias album, tunc omnia simul albo adæquabuntur, nam æq; latè patet album per se, ac totum hoc album durum, album molle, album liquens.

Urgetur secundum Dialecticorum vulgatum & receptissimum, Membra dividenda debent dici ad convertentiam cum divisio, ita scilicet ut de quo dicitur divisum dicantur membra dividenda, sed ista allegata non possunt dici ad convertentiam ergò, patet ma. Nam bene convertitur cum homine, alia pars est animal, & alia rationale, ita de quo unum dicitur, dicatur & aliud, verbi gratiã quia de Socrate dicitur quod sit homo, etiam de ipso dicitur quod ejus alia pars sit animal, alia rationale, & iterum quia homo dividitur physicè in corpus & in animam, etiã bene dicitur de Socrate quod ejus alia sit pars corpus, alia anima, ac dicitur quod sit homo, probatur etiam mi. Quia si posset dici, aut diceretur quod sicut dividitur album in durum, molle, liquens, quod durum, molle, liquens sit album, & tunc, redit argumentum scilicet, quod sic latius pateant membra dividenda, propositionemq; faceret falsam, quia non quod durum molle & liquens est, album est, aut diceretur ad convertentiam, ita ut sub quolibet contineatur album ut vult solutio, & hoc non potest fieri, quia sic efficeretur propositio identica, quia idem est ac dicere album durum, album molle, album liquens, est album durum, album molle, & album liquens, ergò solutio data non subsistit. R. dist. ma. debent dici ad convertentiam copulativè vel divisim, concedo ma. copulativè semper nego ma. Ita; in divisione integrali Essentiali Physica & Metaphysica quidem dicuntur copulativè ut demonstrant divisiones adhibitæ pro probanda majori principali, veruntamen in divisione totius universalis, seu potentialis tantum dicuntur membra dividenda ad convertentiam divisim, unde licet bene dicatur de Socrate quod sit Animal, & licet animalis membra dividenda sint aliud homo, aliud bestia, non tantum hoc divisum homo vel bestia dicitur de Socrate, quare huic divisioni particulare est, ut in singulis membris dividendis aut contineatur, aut subaudiatur divisum.

Regula & Conditio 2. Ut in quantum fieri potest divisio fiat in proxima & immediata membra, contra quam regulam peccant qui corpus Animatum dividunt in hominem, bestiam, arborem fruticem, & herbam, transilendo duo immediata genera, Animal & plantam, quare prius ani-

XI.
Debet fieri in proxima & immediata membra.

animatum corpus dividendum est in animal & plantam quae immediatè subjiuntur ipsi corpori animato, deinde verò distribuendum animal in hominem & bestiam, & planta in arborem, fruticem, & herbam.

III. Regula Tertia est, ut non nominetur in divisione una tantum pars totius & altera, vel alia exprimatur negatione; Nec tam multae recensentur ut longior quam par sit oratio, quia si alteram partem tantum negatione expresseris, non sufficienter assignabis partes eius quod dividitur, quia negatio alterius partis non solum non est differentia, sed nullo etiam alio modo propriè pars, sive componens totum, sive subiecta toti; Aliquando tamen per negationem membrum dividens exprimeret potius, maxime ut tam necessariam facias divisionem, ut nemo negare possit, secundò quando altera vel reliquae partes carent nominibus positivis, tunc ad negativam confugere licet, ut divido substantiam in corpoream & incorpoream, animal in rationale & irrationale, quia ignorantur verè differentiae quae angelum & brutum animal constituunt, peccare tamen contra hanc regulam, si dices, Magnitudo alia est linea, alia non linea, & contra posteriorem regulam partem, si nimis multa membra enumerares dicendo: Animalium aliud est homo, aliud equus, aliud canis, aliud simia, aliud hoc, aliud illud, recensendo singulas species, quia talem divisionem nec tu absolveres nec alius comprehenderet, posset tamen dicere: aliud est animalium homo, aliud elephas, aliud simia, & sic de caeteris, vel etiam & alia remotiora sunt.

XIII. Quarta Regula est, ut membra divisionis inter se opponantur, per oppositionem autem hic intelligo eam repugnantiam quae de eadem re simul affirmari non possit, quare aliquis secundum Aristotelis exemplum malè divideret animalia in natantia & alba, & iterum alia esse urbana, alia sylvestria, eò quòd eadem & natantia & alba esse possint, nec non eadem sylvestria & urbana.

XIV. Quaeres. Quae verborum formulam divisiones sunt exprimendae? R. communiter quidem non servari determinatas aliquas formulas, attamen naturis convenientissimum est, ut in divisionis quid nominis, Physicae, Metaphysicae & integralis, ad initium ponatur nomen divisi in genitivo casu, & deinde ante nomen cuiusque membri dividendis, interferatur haec, vel aliae verba, Altera vel alia pars, aut similia, ut si dicas, huius vocis Galli alia significatio est quae significat hominem, alia quae avem, temporis alia pars est transacta, alia ventura, hominis una pars est corpus, altera animus. Divisiones verò totius potentialis in partes subiectas, quamvis eodem modo confici possunt, attamen ex communi consuetudine Philosophorum dividendum, ad initium ponendum est divisum in genitivo casu pluralis numeri, deinde addenda sunt membra dividenda, ut si dicas, substantiarum alia est corporata, alia incorporata, animalium alia in terra degunt, alia in aquis, Ratio, quia in prioribus divisionibus totum est aliquod actuale unum omnes suas continens partes, in posteriori verò cum casu actu non habeat unde

componatur, necessariò est universale, adeoque etiam in plurali numero exprimendum.

QUAESTIO IV.

De Argumentatione in Communi.

Certum est Argumentationem potissimum esse instrumentum sciendi, ut visum est in antecedentibus, quoniam illa sola habet vim illativam quae unum ex alio per consequentiam deducit, ut proinde per eam res maxime reddatur nota, quare congruentè de ea in hac quaestione tractatur, verum tamen non attingam ejus perfectissimam speciem, de qua quoniam illa fufiorem exigit tractationem, sequenti disputatione acturus sum, unde hic de argumentatione in communi tantum agam, quaerendo tria solita scilicet, quid & quotuplex sit, quaeque conditiones & regulae ad bonam argumentationem requirantur, quare ad primum progrediendo.

DICO I. Sumendo argumentationem in magis propria acceptione, bene describitur quòd sit oratio in qua ex argumento explicato, altera pars quaestioni concluditur. Ita Fonseca & Conimb. Videturque esse mens Aristotelis pluribus in locis ubi argumentationem vocat quandoque demonstrationem, late sumpto demonstrationis vocabulo aliquando *σισις*, hoc est fides, seu probatio, nunc *λογος*, id est, ratio appellat. Probatur declarando singulas partes: nam *ly Oratio* habet locum generis in quo cum aliis instrumentis sciendi convenit, nam tam definitionem quam divisionem instrumentum esse dixi sciendi, & orationem; Reliquae verò particulae locum differentiae habent, quas tamen explicare non est congruo minus, dicitur ergò in qua argumento explicato, id est, in qua proposito & ordinato medio ad aliquid inferendum, vel probandum assumitur ratio conveniens; per *ly Quaestio* altera pars, &c. intelligo omnem dubietatem, & ambiguitatem sententiae quae de aliqua re, resolvitur. Probatur secundo Conclusio refutando sententiam Adversariorum & maxime Mastrii. Si ista argumentationis definitio bona non esset, ex eo id contingeret quia daretur aliqua argumentatio quae in se non habeat mediū explicatum, sed ista ratio nihil convincit ergò: probatur mi. ideo convinceret ista ratio, quia omnis consequentia est argumentatio, sed hoc est falsum, ergò: ma. est Adversariorum, probatur mi. ideo secundum adversarios omnis consequentia est argumentatio, quia tam argumentatio quam consequentia in Syllogismo resolvitur & reduci possunt, sed haec ratio nulla est, ergò prob. mi. Propositiones affirmativae fieri possunt negativae, & hypotheticae simplices, & tamen exinde nullus nec Mastrius negat quin sint essentialiter distinctae, ergò licet argumentatio & quaelibet consequentia fieri possit, Syllogismus, aut etiam virtualitè sit Syllogismus, sequitur quod quaelibet consequentia sit argumentatio, ergò bene definitur argumentatio definitione data, maxime si debite animadvertatur quòd dixerim bene definiri si magis propriè sumatur, quare

Probatur Conclusio 3. Essentialitèr distinguitur argumentatio propriè loquendo à pro-

I. Argumentatio est potissimum modus sciendi.

II. Describitur argumentatio.

III.

à propositionibus hypotheticis, sed propositiones hypotheticæ sunt veræ consequentiæ, ergo argumentatio propria & in magis stricta acceptione etiam distinguitur à consequentiâ, consequenter argumentatio & consequentiâ idem non sunt, & si non sunt idem, aliâ & aliâ definitione definiiri debebunt, adeoq; argumentationis in magis propria acceptione bona erit definitio. Quare

IV.
describitur
argumentatio
sumpta in
laxiori acce-
ptione.

Dico 2. Sumendo Argumentationem in laxiori acceptione, prout comprehendit omnem consequentiâ, desinitur bene quod sit Oratio in qua unum ex alio inferatur. Hæc est communis licet sic non proponatur ab aliis sicuti & prior. Patet de se & ex priori ad huc magis confirmatur. Ex qua Colliges Ad quamlibet argumentationem tria requiri, nempe unam propositionem ex qua aliud inferatur, & alteram quæ ex illa alia deducitur, & notam seu signum illationis expressum per particulam Ergo, vel igitur, aut alicujus similis, quæ denotet illatam propositionem esse connexam ad eam quæ inferatur, Adverte autem quod propositio illa quæ ex alia inferatur, seu illata dupliciter considerari possit, vel secundum se & sine respectu ad notam illationis, vel cum illa nota illationis, si priori modo consideretur consequens appellatur, si posteriori dicitur consequentiâ. Rem declaro in exemplo, si duas has propositiones proferres dicendo: Petrus est homo, Petrus est risibilis, nulla esset argumentatio, licet ideo Petrus risibilis sit quia homo est, sed si addis, Petrus est homo ergo est risibilis, in hac itaq; argumentatione si propositio ultima consideretur sine particula Ergo dicitur consequens, si verò cū illa particula Ergo spectetur, dicitur consequentiâ, unde licet aliquando consequens sit ambiguum non potest tamen à respondente negari, dicendo nego consequens, sed debet distinguere dicendo *distinguo consequens*, consequentiâ verò nunquam distinguitur, sed si in vitiosa argumentatione consequentiâ malè inferatur, ex eò quod nullo modo sit bona connexio, tunc negatur consequentiâ, Ex quo patet maximum inter eas esse discrimen, & ulterius adhuc declaratur per hoc, quod consequens dividatur in verum vel falsum, ita quod de eo dici possit, est consequens verum, est falsum consequens, non verò sic dividitur consequentiâ, sed hæc e contra in bonam & malam, ita quod de ea dicatur verè est mala consequentiâ, est bona consequentiâ, non verò est falsa vel est vera consequentiâ, Ratio est, quia consequentiâ non est propositio ad quam solum spectat verum & falsum ex eo quod affirmet vel neget, sed est connexio illativa propositionis ad quam pertinet debita dispositio & conveniens ordinatio, conveniens autem & inconveniens non faciunt verum & falsum, sed bonum & malum, unde consequentiâ mala est quando mala est connexio, bona verò e contra quando bona est connexio.

V.
Propositiones
ex quibus in-
feratur conse-
quentiâ par-
ticularibus
nominibus
vocantur.

Adverte secundò Non modo propositio illatam proprium sortitam esse nomen, sed etiam eam ex qua ipsa inferatur, unde si una tantum præmittitur tunc illa vocatur antecedens, si verò ut contingit in omnibus syllogismis præmittuntur duæ ad aliquam inferendam,

tunc prima propositio vocatur major, secunda minor, & tertia tandem cum nota illationis consequentiâ; sine nota consequens, Priores autem duæ quæ assumuntur uno vocabulo, simul si sumantur, dicuntur & vocantur *Premisse*, ab aliquibus autem appellantur *sumptiones*, quia etiam majorem & minorem propositionem aliter intitulant, nam majorem vocant simpliciter *propositionem*, minorem verò *assumptionem*, & ultimam deductionem, vel complexionem, priores tamen compellationes magis sunt in usu.

Progredior Ad Examinandam

2. p. Scilicet quotuplex sit argumentatio, ubi primò generaliores divisiones adhibebo, & postmodum ad traditas ab Aristotele species descendam. Itaq; Generaliter primò dividitur argumentatio in bonam & malam, loquendo de argumentatione quacunq; etiam latissimè sumpta; bona est quando unum ex alio secundum debitam dispositionem & ordinationem deducitur, sicut deduci deberet, ut si dicas Petrus est homo, ergo est animal. Vitiosa seu mala est, quando secus contingit, ut si dicas, Petrus est homo, ergo Petrus est Philosophus, id enim non sequitur, quia Petrus posset esse homo & mechanicus non verò Philosophus, Notandum tamen, licet ex dictis sufficienter patere possit, ad bonam argumentationem non requiri veritatem antecedentis & consequentis, sed solum bonitatem illationis, quare bona est argumentatio licet antecedens & consequens sit falsum dummodò sit legitima illatio, e contra verò vitiosa est, licet antecedens & consequens verum sit, si illatio non est legitime disposita & facta.

Argumentatio bona Alia est Materialis, alia formalis; Formalis est quæ vi formæ concludit, id est in qua retenta eadem forma & modo ita concluditur ut in quacunq; materia etiam impossibili fiat argumentatio aptè & congruè conclusio deducitur, verbi gratiâ si dicas: Omnis homo est Animal, omne visibile est homo, ergo omne visibile est animal. Omnis virtus est laudanda, justitia est virtus ergo justitia est laudanda, hæc enim dispositio & ordinatio cuicunq; materiæ applicata infert conclusionem, etiam si fiat in materia impossibili, verbi gratiâ si dicas: Omne animal est lapis, omnis homo est animal, ergo omnis homo est lapis. Tunc verò dicitur servari eadem forma, quando primò servatur eadem dispositio & ordo verborum in quibus est vis illationis, quare si ordo iste verborum mutetur statim censetur etiam forma esse mutata, ut patet in his duabus consequentiis, Omnis virtus est qualitas, omnis justitia est virtus, ergo omnis justitia est qualitas; Et ista, Omnis laurus est substantia, omnis equus est substantia, ergo omnis equus est laurus, nam quia in prima argumentatione subiectum primæ propositionis seu majoris sit prædicatum secundæ seu minoris, e contra verò sit in argumentatione secundâ ut consideranti eam patet ideo jam dicitur esse muta forma; Secundò requiritur ut servetur eadem acceptio vocabulorum, eademq; suppositio & modus, unde in his duabus argumentationibus; homo deambulat, ergo aliquis homo deambulat, homo est species, ergo aliquis homo est species non servatur & retinetur eadem forma, quia ly homo in antecede-

VII.
Argumentatio bona
alia est ma-
terialis alia
formalis.

VII.
Argumentatio bona
alia est ma-
terialis alia
formalis.

dente prioris argumentationis accipitur pro singulis hominibus disjunctivè, in antecedente verò posterioris accipitur ly homo pro homine in communi ut præscindit ab omnibus inferioribus. Tertio requiritur ut fervetur eadem essentialis qualitas propositionum principalium, unde istæ argumentationes non sunt ejusdem formæ, *Homo est animal, ergo est sensus particeps, homo non est animal, ergo est sensus particeps*, nam primum antecedens est affirmativum, secundum verò negativum, Dixi principalium, quia si mutetur qualitas quarundam propositionum minus principalium non statim censetur mutari forma, maxime si eæ minus principales includantur in subiecto, aut prædicato principalium, unde fit ut istæ duæ argumentationes sint adhuc ejusdem formæ, licet in posteriori sit aliqua propositio negativa inserta; verbi gratiâ *Omnis homo qui est justus est prudens, ergo hic homo est prudens; Omnis homo qui non est probus est imprudens, ergo hic homo est imprudens*. Ultimo deniq; requiritur ut fervetur eadem quantitas enuntiationum seu propositionum, unde fit ut istæ duæ argumentationes sint diversæ formæ, *Omne animal est sensus particeps, ergo homo est sensus particeps, quoddam animal est rationis expertus, ergo homo est rationis expertus*.

Argumentatio Materialis est

quæ unum ex alio infert ex eo quoddam res ita sibi sint connexæ ut unam altera sequatur taliter, ut si adhiberes aliam materiam falsè & malè positis concludere, licet eandem adhiberes argumentationis formam & dispositionem verbi gratiâ *Omnis homo est animal risibile, ergo omne animal risibile est homo*, quia si hanc dispositionem & argumentationis formam applices, materiæ alicui alteri ubi res non ita necessariò sunt connexæ, malè concludes, verbi gratiâ si dicas: *Petrus est homo, ergo est doctus*, non sequitur quia doctum esse non necessariò connectitur cum homine, sicut connectitur animal risibile cum homine, quare talis est hæc argumentationis forma ut vilius nihil concludatur. Quare aliqui existimant solum Syllogismum esse argumentationem formalem, verumtamen non videtur tantum rigorem esse necessarium, nam ex universalis inferre particularem in quacunq; materia concludit ratione subordinationis particularis propositionis ad universalem.

Argumentatio formalis Subdi-

viditur in Syllogisticam & non Syllogisticam, de Syllogistica agam disputatione sequenti; Non Syllogistica est, in qua ex una propositione præmissa aut pluribus per modum unius infertur alia, prout contingit in *Sorite* & *Inductione*, in quibus licet plures præmittantur propositiones, in modo tamen & figura non disponuntur per modum majoris & minoris prout in quolibet Syllogismo disponi necesse est.

Argumentatio Non Syllogistica

de qua potissimum procedit quæstio Ab Aristotele 2. Prio. 23. & 1. post. 1. dividitur in sequentes species scilicet in *Instantiam Inductionem, Enthymema, & Exemplum*, licet aliquando etiam de Syllogismo & inductione tantum *F. Ammadi Hermann Logica.*

mentionem faciat; Summulistæ tamen Juniores, licet nonnulli contradicant, præmissis quatuor speciebus duas adhuc addunt nempe *Dilemma* & *Soriten* quam Cicero *acervalem*; alii à primo ad ultimum, alii *coacervationem* & *aconglobatis* vocant, de quibus sigillatim secundum ordinem Itaq;.

Enthymema argumentationis non

Syllogistica præcipua & usitatissima species, ut ab Aristotele vocatur Syllogismus imperfectus, non quidem ea significatione quæ omnes per se non evidentes & noti, imperfecti dicuntur, sed quia in eo semper una ex præmissis intermittitur, ac proinde eam argumentationem Boëtius lib. 2. de differ. Top. eam describat, quod sit *Oratio in qua non omnibus antea propositionibus constitutis infertur festinata conclusio*. Alii secuti Quintilianum Interpretem, vocant hoc genus *commentum* & *commentationem*, alii aliter, in se autem est *Argumentatio* in qua una tantum præmissa propositione quæ antecedens dicitur, infertur alia, ut si dicam *Omnis homo est rationalis, ergo omnis homo est risibilis*.

XI.
Enthymema explicatur.

Inductio Cujus potissimum auctor est

Socrates teste Aristotele 1. Met. 6. & 13. Metra. 4. Est argumentatio in qua à singularibus sufficienter enumeratis vel partibus, ad universale, vel totum fit progressio, ut si dicas *Petrus est risibilis, Paulus est risibilis, Joannes est risibilis, & sic de cæteris, ergo omnis homo est risibilis*. Nec *Cæsus in auro, nec Achilles in viribus, nec Demosthenes in eloquentia, nec Alexander in potentia sollicitatem invenit, ergo nullus in rebus caducus & transitorius sollicitatem veram inveniet*; Dixi autem notantè esse argumentationem in qua à singularibus, vel partibus &c. Quia non ex singularibus ad universalis tantum progrediendo fit Inductio, sed etiam à partibus sufficienter enumeratis ad totum, ut si dicas, *Caput languet, pedes languent, manus languent & sic de cæteris membris, ergo totum corpus languet*; Notandum tamen quod, licet dixerim in definitione à singularibus sufficienter enumeratis, non debere omnia omninò singularia recenseri maxime si multa nimis essent quæ potius confusionem quam claritatem parerent, sed enumeratis singularibus sufficientibus reliqua implicite per hanc vel similem formulam & sic de cæteris, & sic in reliquis res se habet, aut similibus implicite exprimi posse, quam particulam si Contra pars negaret, tunc in eadem facienda est instantia quæ si infirma fuerit, firma erit inductio.

XII.
Inductionis auctor est Socrates.

Exemplum. Est argumentatio in qua

ex uno, aut etiam paucis similibus aliquid singulare infertur, ob rationis paritatem, verbi gratiâ *Christus peperit Petro, latroni, & Magdalena penitentiam agentibus, ergo & mihi parceret*. Hoc genus argumentationis duplex est; primum, quando ex re aliqua verè facta, aut gesta aliquid simile deducitur & innititur potissimum historice veritati, ut si dicas: *Florentini dissidentes inter se Reipublica administrationem perdidere, sicut & Senenses ac Pisani, ergo si Veneti, aut Januenses inter se dissidentes fuerint pariter perdent*. Secundum est quod

XIII
Exemplum quod sit &

VIII.

IX.

X.

quòd quidem historiæ authoritati non inni-
tatur, sed rei factæ, aut quasi gestæ similitudini,
quòd iterum subdividitur in *Parabolam*, seu *col-
lationem* & *Apologum*; Exemplum primi generis
fit hoc, *Non sibi consulerent veltiores qui gubernato-
res sorte diligerent, ergò non sibi consulat Respublica
quæ sorte crearet magistratu*. Exemplum secundi
generis fit illud quòd ipse Aristoteles 2. Rhet.
ad The. 20. *Equus olim pascua solus obtinebat, in-
vasit eam possessionem cervus ut pasceret depopulare-
turq;, incensus dolore equus cogitabat incommodum
suum ulcisci, adit hominem ut consulat, eum implo-
rat secum aliquam rationem inerat injuriæ vindican-
dæ. At homo inveni, inquit, illum, Patere addi frænum
in os tibi & ego hasta desumpta dorsum inscendam,
ita incurremus & conficiemus improbisimum animal,
approbavit consilium equus, in frænatus est, equitem
recepit in sedem; ita loco supplicis de cervo sumendi,
abactus ipse est in servitutem, Ergò Imerci, vereor, ne
dum conamini injurias vestras ulcisci, idem vobis eve-
niat, ac frænum quidem jam injectis vobis creato
Imperatore Phalaride, quod si custodes salutis adhi-
bendos censeris, ac dorso recipitis, non video cur hoc non
sit servire Phalaridi. Quamvis hæ divisiones
exempli vulgò circumferantur solùm tamen
illud quòd innititur authoritati historiæ
dicendum est exemplum, quia in eo & præteri-
tum aliquod recensetur & à particulari ad ali-
quid particulare inferendum fit progressio, in
cæteris verò & maxime in parabolis sæpè uni-
versalia ex universalibus concluduntur.*

XIV.
Explicatur
Instantia.

Instantia. Est argumentatio Exemplo
fat similis in qua per adductionem alicujus pro-
positionis probatur contrarium propositionis
ab Adversario adductæ, ut si quis diceret *omnes
homines esse salvos*, talis statim convinci posset
per instantiam hoc modo, *Judas fuit homo & ta-
men non est salvatus, ergò falsum est omnes homines
salvos esse*; Solet hoc genus potissimum adhiberi
ad infringenda asserta, universalis, & qui tali
modo argumentandi utitur, necesse habet pro-
bare instantiam.

XV.
Dilemma
elucidatur.

Dilemma quæ etiam dicitur argumen-
tatio bicornis, est talis argumentatio quæ duas
propositiones habet inter se ita dispositas, ut
respondens necessariò cogatur aliquid contra
se admittere, vel negare, ut si quis narraret se
fuisse tota hora in foro in qua hora supponatur
quòd fuerit histrio ibi, quem alter dicat se
non vidisse, talem narrantem hoc modo quis
impugnare potest; *Vel fuisti per totam horam in
foro, vel non fuisti; si fuisti ergò mentiris dicendo te
histrionem non vidisse, si non fuisti, ergò mentiris es
dicendo te per horam in foro permansisse*. Ita quò; quid-
cunq; talis narrans responderit negando vel
concedendo vincitur mendacii.

XVI.
Quid sit So-
rites?

Sorites Est argumentatio in qua multe
propositiones coacervantur ea arte, ut prædica-
tum primæ propositionis fiat subjectum secun-
dæ, prædicatum secundæ fiat subjectum tertie,
& sic deinceps donec ultimum prædicatum di-
catur de subjecto primo, ut si dicas *Omnis homo
est animal, omne animal est vivens, omne vivens est
corpus, omne corpus est substantia, ergò omnis homo
est substantia*, Quòd genus argumentationis
pluribus compellatur nominibus ut supra te-

tigi, quòd verò à Cicerone & Academicis vo-
cetur hoc genus argumentationis *vitiosum* &
captiosum, non ita intelligendum est quasi
non rectè concludat, sed quia in tali coacerva-
tione propositionum facile veris falsæ ad-
misceri possunt, quæ temporis brevitate non
ita facile penetrari possunt, quo fit ut sæpè se-
curus & nimium fidens responso capiatur,
sic Stoici concludebant quòd quavis ratione
bonum est esse honestum: *Quòd bonum est, est
optabile, quòd optabile est expetendum, quòd est
expetendum dignitatem habet, quòd dignitatem ha-
bet est laudabile, quòd est laudabile est honestum, ergò
bonum est honestum*.

Difficultas tamen Inter Autores XVII.
est, an Prædictæ argumentationes sint species
argumentationis propriæ, tam inter se, quam
à Syllogismo distinctæ? Complutenfes quos
sequitur Joannes de S. Thoma putant duas
tantum esse species argumentationis Syllo-
gismum scilicet & Inductionem, Mastris verò
existimat nec Inductionem quidem à Syllo-
gismo distinctam speciem esse, quia tam
Enthymema quàm exemplum & inductio, ad
Syllogismum reducuntur tanquam argumen-
tationes imperfectæ ad perfectam. Attamen
Contra utramq; sententiam

Dico 3. Tam Enthymema quàm Inductio sicut XVIII.
& Dilemma ac Sorites sunt argumentationes tam
inter se quàm à Syllogismo specie distinctæ. Hanc
quidem ab aliis sic propositam non reperio,
videtur tamen fuisse opinio Tartarici & Ma-
sini &c. *He argu-
mentationes
sunt specie
distinctæ à
Syllogismo.*

Probatur Conclusio & primò qui- XIX.
dem quòd Syllogismus distinguatur essentia-
liter ab aliis argumentationibus. Quæ-
cunq; habent essentialitèr diversam formam
& inferendi modum distinguuntur essentia-
liter, sed Syllogismus habet essentialitèr di-
versam formam & inferendi modum, ergò
distinguitur essentialitèr: prob. mi. Syllogis-
mus necessariò constet tribus propositionibus,
quarum primæ, quæ præmissæ dicuntur, ita
uni medio earum extremitates uniantur, ra-
tione cujus in conclusione illæ inferuntur
unitæ inter se, sed hoc in aliis argumentatio-
nibus non requiritur ut consideranti patet,
ergò distinguuntur essentialitèr à Syllogis-
mo, Probatur Nulla ratio est dicendi eas non
differre essentialitèr à Syllogismo quàm quòd
enthymema & inductio &c. virtualiter &
implicitè contineant tertiam propositionem,
quæ virtualis continentia non infert differen-
tiam essentialem, sed hæc ratio non convin-
cit ergò, probatur mi: si hæc ratio suade-
ret quòd Inductio enthymema &c. eò quòd
continent virtualiter tertiam propositionem
essent à Syllogismo non distinctæ argumen-
tationes, sequeretur nullum dari Syllogis-
mum, aut Syllogismum debere constare qua-
tuor propositionibus, sed hoc nemo dicit, ergò,
probatur sequela, Quia non minus quàm in
hoc enthymemate: Homo est Animal, ergò est
vivens, virtualiter continetur hæc propo-
sitiō tertia: Omne animal est vivens ut vo-
lunt Adversarii, ita in hoc Syllogismo
Omnis

Omnis homo est vivens, Petrus est homo ergo Petrus est vivens continetur & praesupponitur ista. Omnis homo est animal, a qua dependet veritas majoris, ergo si virtualis contentia non facit essentialiter differre, aut nullus dabitur Syllogismus, aut quatuor propositiones habere debet. Confirmatur Conclusio, Quae non essentialiter inter se differunt possunt de se invicem praedicari, ita de quo unum dicitur dicatur & aliud, ergo si Syllogismus non differt essentialiter ab Enthymemate, sicut secundum adversarios enthymema dicitur virtualis Syllogismus, ita Syllogismus debet dici virtualis enthymema, quod in convenientissimè asseritur, quia nihil dicitur tale virtualiter quod illud explicitè habet ratione cuius virtualiter dici deberet.

Probatur Conclusio etiam

quod inter se essentialiter differant, Quia omnes illae argumentationes enumeratae habent essentialiter diversam formam & modum procedendi, ergo ipsae inter se essentialiter differunt, probatur aut. Quia forma & modus procedendi variatur, ut vidimus supra, vel ex mutatione terminorum, vel ex ordine verborum, aut varietate, quantitate, vel qualitate propositionum, sed in enumeratis ista sunt & mutantur, ergo, probatur min. nam Enthymema essentialiter aliud non requirit quam quod in eo sint duae propositiones quarum una ex altera inferatur, non curando an universales sint an particulares, Inductio verò Essentialiter petit, ut ab inferioribus & singularibus ad universale fiat progressus, Exemplum verò non ab universalibus particulare, aut ex particularibus universale deducit, sed ex una similitudine aut re simili vel pauculis aliquid singulare infert, Dilemma pariter & Sorites certam requirunt propositionum dispositionem, quae non tantum inter se diversa est sed etiam ab aliis differt.

Restat nunc ut Examinentur

Regulae bonae argumentationis in communi, quarum plures ab Authoribus adferri solent, sequentes tamen puto esse praecipuas Itaq;

Prima est quae ex Aristotele 2. prio. 2.

& 1. post. 6. colligitur quod *Ex vero antecedente non nisi verum consequens, Verum autem consequens, tum ex falso, tum ex vero colligatur*; Ratio est, quia si quis ex vero falsum colligeret jam non esset apta consequentia, quod autem verum ex falso colligi possit & ex vero probant haec exempla: *Omnis virtus est laudanda, temperantia est virtus, ergo laudanda: Omnis virtus est laudanda, temperantia est virtus, ergo temperantia est laudanda.* Ambae namque formales consequentiae sunt, sed prima colligit verum ex vero, secunda ex falso verum.

Regula 2. Est Ex falso, & falsum & verum falsum autem non nisi ex falso concluditur, hanc

tradit Aristoteles 8. top. 4. & 5. Prior pars huius regulae hisce duobus exemplis probatur, *Omne animal est candidum, sed corvum est animal, ergo corvum est candidum: Omne animal est nigrum, corvum est animal, ergo corvum est nigrum:* ubi utraq; conclusio deducitur ex falso antecedente, prior tamen falsum consequens posterior verum. Po-

F. Amandi Hermann Logica.

terior verò pars regulae exinde probatur quia alioquin in bona argumentatione daretur antecedens verum, & consequens falsum.

Regula 3. Ex necessario non nisi necessarium, necessarium autem ex quolibet, id est & ex necessario, & ex contingenti, & ex impossibili colligitur.

Prior pars huius regulae sic probatur, quia necessarium est semper verum, impossibile semper est falsum, contingens verò potest esse falsum, si ergo ex necessario posset colligi contingens, aut impossibile, jam contra primam regulam daretur antecedens verum, & consequens falsum. Posterior verò pars hisce exemplis declaratur, *Omne animal per se subsistit, homo est animal, ergo per se subsistit, Omnis Philosophus movetur loco, sed deambulans est Philosophus, ergo deambulans movetur loco: Omnis lapis per se subsistit, sed homo est lapis, ergo homo per se subsistit,* Omnes haec consequentiae colligunt necessariam conclusionem sed prima ex necessario antecedente, secunda ex contingenti, & tertia ex impossibili.

Regula 4. Est Ex contingenti nunquam colligitur impossibile, sed vel necessarium, vel contingens, contingens autem nunquam ex necessario, sed vel ex contingenti, vel ex impossibili colligitur.

Ita Aristoteles 1. Prio. 1 2. & 8. phy. 5. Quod igitur ex contingenti nunquam colligatur impossibile inde patet, quia contingens potest esse verum, impossibile autem semper est falsum, si quis igitur ex contingenti impossibile colligeret sanè ex antecedente vero deduceret falsum, quod nunquam est admittendum fieri posse. Quod verò ex contingenti colligatur necessarium probant exempla superius adducta. Quod autem ex contingenti deducatur bene contingens & ratio rei & hoc exemplum deducit, *Omni Grammaticus est Dialecticus, sed homo est grammaticus, ergo homo est dialecticus & sic de ceteris.*

Regula 5. Est Ex impossibili sequitur quodlibet, id est tam necessarium quam contingens & impossibile, Impossibile autem non nisi ex impossibili colligitur, patet primum, patet & postremum, quia si impossibile ex alio quam impossibili sequeretur, daretur bona argumentatio in qua antecedens verum esset & consequens falsum, nam necessarium semper est verum, contingens potest esse, impossibile autem semper est falsum.

Regula 6. Est. Quidquid stat cum antecedente stat cum consequenti, non tamen quidquid stat cum consequenti stat cum antecedenti. Id est Quidquid verum esse potest cum antecedente potest etiam verum esse cum consequente non tamen e contra, ut si haec est bona consequentia, Hoc est homo, ergo est animal, est autem verum asserere aliquid esse hominem, esse bipes, non tamen si verè dixeris aliquid esse animal & quadrupes. Ratio prioris partis huius regulae est, quia si aliquando id quod stat cum antecedente non staret cum consequente, tunc sanè everteretur consequens non everso antecedente, quo fieret ut in bona consequentia daretur antecedens verum & consequens falsum: posterior pars manet confirmata ex exemplo adducto.

XXIV. Ex necessario necessarium.

XXV. Contingens unde inferatur.

XXVI. Ex impossibili sequitur quodlibet.

XXVII. Sexta regula explicatur, ratione antecedenti.

XX.

XXI.

XXII.

XXIII.

XXVIII.
Septima Regula

Regula 7. est. Quidquid repugnat consequenti repugnat antecedenti, non tamen quidquid repugnat antecedenti repugnat consequenti. Prior pars ex eo patet, Quia si aliquid repugnaret consequenti quod non repugnaret antecedenti aliquid everteret consequens quod non everteret antecedens, sicq; in bona consequentia daretur antecedens verum & consequens falsum quod fieri nequit, Ex parte hac hujus regule colligitur vulgare dialecticorum dictum, in bona consequentia ex opposito contradictorio consequentis inferitur contradictorium antecedentis, Ut si hæc est bona consequentia socrates est lapis, ergo non est sensus particeps, licebit ita concludere, Socrates est sensu particeps, ergo Socrates non est lapis. Et sic de aliis. Posterior pars vel ex hoc uno exemplo confirmatur, Hoc non esse hominem repugnat antecedenti hujus consequentia,

hoc est homo, ergo est animal, & tamen non repugnat consequenti (Bucephalus liquidem qui non est homo, est animal) ergo non quidquid repugnat antecedenti repugnat consequenti.

Regula 8. Est. Ex quocunq; sequitur antecedens sequitur consequens, & quidquid sequitur ex consequenti sequitur ex antecedenti verbi gratia si hæc est apta consequentia est animal, ergo est substantia, & ex homine sequitur animal, ex homine utiq; sequetur & concludetur substantia, Et in hac regula fundatur Sorites. Omnes verò potissimum in illo primo principio, quod non possit dari in bona consequentia antecedens verum & consequens falsum, sed si antecedens est verum etiam consequens, maxime si bene notetur, quod est impossibile semper esse falsum, contingens posse esse verum, & necessarium semper esse verum.

XXIX.
Octava Regula.



DISPUTATIO IV. DE SYLLOGISMO.

Quasi omnia Quæ hæcenus tractavi ut plurimum ad primam & secundam mentis operationem spectant, videlicet ad apprehensionem simplicem, quæ res aliqua simpliciter concipitur & apprehenditur sine affirmatione vel negatione; & iudicium quod scilicet de re concepta & apprehensa aliquid affirmamus vel negamus, nunc accedendum est ad ea examinanda quæ ad tertiam mentis operationem, vel discursum spectant, quo intellectus à cognitione unius ad cognitionem alterius progreditur unum ex alio inferendo, & sicut alia instrumenta tradita fuere supra ad apprehendendum & iudicandum, sic pariter (nam & in illatione deceptio fieri potest) instrumentum aliquod tradendum est quo intellectus certè dirigatur ad unum ex alio inferendum & legitime deducendum, & quamvis in questione precedenti aliquid de discursu & argumentatione egerim, fuere tamen tantum explicata illa species, quæ tam Philosophis, quam Oratoribus communes esse possunt, quare nunc de Syllogismo veluti Dialecticorum proprio Instrumento in hac Disputatione, tum ob materiae utilitatem, tum ob dignitatem, suscipiam aliquid pertractabo. sit igitur

QUESTIO I.

Quid & quotuplex sit Syllogismus?

I.
Syllogismus est sermocinatio.

Quantum ad pri. par. si Syllogismus spectetur quantum ad Etymologiam nominis nihil aliud est quam sermocinatio, vel ratiocinatio, quia tamen hæc significatio magis latè patet quam Syllogismus, idè ejus natura magis particularitèr erit inquirenda, unde eam aliqui describunt, Quod sit oratio discursiva, in qua posita majori & minori propositione inter se, & cum medio debite ordinatis, ex quibus vi dispositionis terminorum deducitur conclusio, quæ definitio licet facilis sit & naturam Syllogismi competenter explicet, non videtur tamen tum à tradita ab Aristotele tum ab aliis Philosophis communiter recepta recedendum, unde

II.
definitur Syllogismus.

Dico I. Bene definitur Syllogismus: Quod sit oratio, in qua quibusdam positis, aliud quippiam ab his quæ posita sunt ex necessitate accidit, eo quod hæc sunt. Ita Aristoteles in terminis 1. Prior. 1. & 1. Top. 1. Probatur declarando omnes ejus particulas. Dicitur itaq; Oratio, quod locum generis habet & convenit cum aliis differendi modis & sciendi instrumentis, & excluduntur omnes voces & termini simplices: Notandum tamen Aristotelem non definire hic Syllogismum per genus

immediatum & proximum quod est argumentatio, cum ut supra dixi asseruerit Syllogismum esse argumentationis speciem, adeoq; genus proximum esset argumentatio, unde inferitur etiam definitionem non esse omnino strictè essentialem, quare autem Aristoteles per ly Oratio Syllogismum definire voluerit esse mihi videtur, quod definerit eum comparisonem ad sciendi modos & instrumenta quæ sunt Orationes: Dicitur in qua quibusdam positis, id est in qua quædam propositiones præmittuntur major scilicet & minor in figura & modo debite dispositæ, imò aliqui putant addendum esse ex doctissimorum interpretatione Authorum positus & concessus, attamen ultima particula simpliciter in definitione necessaria non est, nec talis interpretatio admittenda si Syllogismus secundum se præcisè consideretur, ad quem non requiritur ut præmissæ concedantur: Additur aliud quiddam ab his quæ posita sunt, per quam particulam intelligitur conclusio (sic etenim appellatur propositio quæ in Syllogismo post præmissas cum nota illationis ponitur) quæ debet esse diversa à præmissis & ab eis necessariò illata, nam præmissæ medio non carent, sed ex medio & majori & minori extremitate constituuntur, bene tamen caret conclusio: Ponitur, ex necessitate accidit, id est quæ necessariò sequitur & necessa-

necessariò concluditur, unde necessitas hic non sumitur pro necessitate conjunctionis extremorum & rerum in se, seu consequentis, quasi semper deberet esse necessarium & non possit esse contingens, sed necessitas consequentiæ seu vis illationis, quòd denotat ultima particula ista, eò quòd hæc sunt, quòd nihil aliud significat quàm vi formæ. Incontra

III. **Arguitur** Hæc definitio non convenit omni & soli ergò bona non est: probatur ant. pro prima parte, Quia non competit Syllogismo hypothetico, Respondeo verum quidem esse quòd Syllogismi definitio data non sit universalis complectens omnes omninò species, adhuc tamen definitio bona, quia est definitio tantum Syllogismi simplicis, seu categorici, non verò hypothetici, ex mente & intentione Aristotelis. Verumtamen Respondeo, 2. dist. ant. probationis non competit Syllogismo hypothetico quantum ad ea in quibus specificè differunt, eonc. ant. quantum ad ea quæ generica sunt nego ant. & consequentiam. Itaq; licet in Syllogismo hypothetico plures quàm duæ Propositiones præmittantur, attamen adhuc debent tales Syllogismi hypothetici regulari per principia categorici & simplicis, in quantum scilicet etiam in eum potest & frequentèr resolvi debet. Sed proseguendo principale argumentum.

Instatur Probando ant. quoad alteram partem. Hæc definitio competit etiam argumentationi in quâ arguitur ab exponibilibus ad expositam, ergò probatur ant. Nam dicendo animal est homo, & nihil aliud ab animali est homo, ergò tantum animal est homo, hæc tota argumentatio competit Syllogismo ut patet eam examinanti, ergò R. negando ant. & etiam probationem, nam illi argumentationi non potest competere illa particula aliud ab his quæ posita sunt, nam in tali argumentatione consequens expositum non distinguitur ab illis in quibus infertur, seu ut clarius dicam, exposita non distinguitur ab exponentibus quia illis correspondet idem conceptus in mente.

Urgetur Hinc sequeretur quod in argumentatione arguendo ab exponibilibus ad expositam committeretur petitio principii semper vitiosa, sed arguendo ab exponentibus ad expositam non est vitiosum, ergò. R. Non omnem petitionem principii, sed illam tantum quæ est noti per æq; notum, hic autem esto sit idem conceptus, non est tamen exposita æq; nota ac exponentes.

IV. **Ut ad alteram p. Progrediar** sciendum Syllogismum tripliciter dividi posse, vel ratione materiæ ex quâ, vel ratione formæ, vel ratione materiæ circa quam. Ratione materiæ ex quâ, (materia autem ex quâ proxima sunt propositiones, remota termini ut postea dicam) dividitur Syllogismus prima sui divisione in simplicem & hypotheticum, seu in categoricum & compositum; categoricum iterum in commune, expositivum, absolutum & modalem, &c. Ratione verò formæ dividitur in tres figuras apud Peripateticos, apud Medicos in quatuor de quâ infra: qualibet figura verò iterum subdividitur variis modis. Ratione verò materiæ circa quam dividitur

Syllogismus in demonstrativum, topicum, seu probabilem, sophisticum, seu apparentem.

Syllogismus communis est qui constat medio aliisq; terminis communibus quales sunt omnes illi quos per modos in figuris recensabo, ita ut supervacaneum sit omnium, omninò explicationem adducere huc, cum res clara evadet ex sequentibus, & facile explicari plures possent ex notitia propositionum, eò quòd Syllogismi tales & tales ut plurimum vocentur, quia ex talibus & talibus fiunt propositionibus, verbi gratiâ Syllogismus Categoricus dicitur ideo talis, quia fit ex propositionibus Categoricis, & sic de cæteris, ut cuilibet ea debite consideranti liquet.

V. **Explicatur Syllogismus communis.**

Syllogismus Expositorius Ideò dicitur talis, quia rem ipsam sensibus exponere videtur, ob perspicuitatem & evidentiam quam habet, Est ejus terminus medius, seu argumentum est singulare singulariter acceptum ideoq; evidentissimè concludit, ex eo quòd ipsi perfectissimè conveniat regula illa *Quæcumq; sunt eadem inter se, &c.* quia nihil magis unum est & idem, quàm singulare, unde si terminus medius singularis non fuerit, non directè & perfectè concludet, prout iis contingit, qui non notant argumentantes per Syllogismos expositivos ut in Divinis, ut si quis diceret: *Essentia Divina est Pater, Essentia Divina est Filius, ergò Filius est Pater*: item *Pater non est Filius, Pater est Essentia, ergò Essentia Divina non est Filius*, Ratio est, quia Essentia sicuti & Deus non sunt completè singulares, sed æquivalent communibus ex eo quòd tam essentia quàm Deus communicentur pluribus personis, ideo ad expositivum Syllogismum illi termini apti non sunt, ut autem adaptentur, quoniam perfectè singularizari non possunt, inde debet illis quis uti tanquam terminis communibus, verbi gratiâ dicendo: *Quidquid est hic Deus est Pater, quidquid est hic Deus est Filius, ergò Filius est Pater*, in quo Syllogismo tenet consequentia benè ratione formæ, sed præmissæ falsæ sunt. Possunt autem Syllogismi expositivi fieri tam in prima quàm secunda & tertia figura, Exemplum sit hoc pro prima figura ex præmissis affirmativis, *Augustinus est sapiens, hic homo est Augustinus, ergò hic homo est sapiens*: Ex una affirmativa & altera negativa in eadem figura colligitur singularis negativa, ut *Bernardus non dilexit inimicitias, hic mellifluus Doctor est Bernardus, ergò hic mellifluus Doctor non dilexit inimicitias*: In secunda figura ex utraq; affirmativa sit hoc Exemplum, *Bernardus est mellifluus Doctor, hic homo est mellifluus Doctor, ergò hic homo est Bernardus*: Ex una negativa & altera affirmativa in eadem figura colligitur singularis negativa, *Bernardus non est Augustinus; Hic Doctor est Augustinus, ergò hic Doctor non est Bernardus*: item ex majori affirmante & minore negante, *Augustinus filius est Municipis Tagastensis, Bernardus non est filius Municipis Tagastensis, ergò Bernardus non est Augustinus*: In tertia figura ex utraq; affirmante sic concludes, *Franciscus est sapiens, Franciscus est pauper, ergò quidam pauper est sapiens*: Ex majore negante verò & minore affirmante sic particularem negantem inferes, *Epulo non est sapiens, Epulo est dives, ergò quidam dives non est sapiens*. Hinc in feres Syllogismum

VI. **Syllogismus Expositorius.**

gismus expositivum alium esse affirmativum alium negativum, Regula pro Affirmativis est. *Quaecumq; uni & eidem sunt eadem, ipsa inter se sunt eadem*, pro negativis verò *Quaecumq; negantur de eodem tertio, illa negantur de se invicem*.

Notandum tamen, Magnam esse differentiam inter Syllogismum expositivum & inter Syllogismum exponibilem, hic est qui est compositus, seu constat ex una, vel pluribus exponibilibus propositionibus ut *Animal rationale tantum est homo, homo tantum est animal rationale, ergo homo tantum est risibile*.

VII.
Quid sit Syllogismus modalis?

Syllogismus Modalis. Est ille qui constat utraq; præmissa modali, vel saltem una, & potest fieri in quacunq; figura & secundum omnes quatuor modos videlicet de necessesse, possibili, contingenti, & impossibili, verbi gratia in prima figura, *Necessesse est omnem hominem esse animal, necessesse est omne rationale esse hominem, ergo necessesse est omne rationale esse animal*: in secunda figura, *Necessesse est nullum lapidem esse animal, ergo necessesse est nullum hominem esse lapidem*: In tertia, *Necessesse est omnem hominem esse animal, necessesse est omnem hominem esse substantiam, ergo necessesse est aliquam substantiam esse animal*; Syllogismus tamen modalis ille magis in usu est qui constat una modali præmissa & altera absoluta concluditq; efficacius, ut verbi gratia, *Omnem hominem currere est possibile, aliquod animal est homo, ergo aliquod animal currere est possibile*, quæ consequentia optima est, quia major propositio æquivalet huic, *Omnis homo potest currere, cum quæ & minori efficitur Syllogismus in Darii*. Notandum autem quod quemadmodum in propositionibus modalibus earumq; conversione modus non numeratur inter terminos, videlicet inter prædicata & subjecta, ita in Syllogismis pariter non numeratur inter terminos scilicet inter majorem & minorem extremitatem ac medium, unde etiam in hac Syllogismi specie non debent esse plures quam tres termini, facilius tamen plures irreperere possunt ex eo quod major fit in illis occasio, quare vigilans oculus in eis habendus est. Habet etiam hic Syllogismus nonnullas speciales regulas quas aliqui ad prolixum extendunt numerum, quia tamen omnis prolixitas superflua odiosa est, ideo tres principiaiores tantum huc adferam. Prima itaq; est in Syllogismo modali confecto in quacunq; figura, si ambæ præmissæ modales sunt, necessesse est quoq; quod conclusio sit modalis, aut saltem talis ut modalis fieri & esse possit, ratio est, quia consimiles propositiones consimilem conclusionem inferunt, si verò una tantum sit modalis, necessesse non est ut conclusio quoq; sit modalis. Secunda Regula est quod in quacunq; figura, si utraq; præmissa fuerit de necessesse, quod conclusio etiam sequatur de necessesse, Ratio est illa Regula generalis infra danda *Dicitur de omni & nullo, si enim prædicatum necessario inest omni medio, & medium necessario inest omni subjecto, prædicatum quoq; necessario inest omni subjecto*. Tertia deniq; est quod ex utraq; contingenti in secunda figura non bene concluditur ut patet sic arguendo, *Contingit nullum risibile ambulare, contingit omnem hominem ambulare, ergo contingit nullum hominem esse risibilem*.

Inter Syllogismos Categoricalis VIII.
Explicatur Syllogismus ex obliquo.
recensentur etiam illi qui vulgò vocantur Syllogismi ex obliquis, de quibus etiam aliquid breviter agam, Est itaq; Syllogismus ex obliquis ille cuius præmissæ ambæ simul, aut una sola constant ex terminis obliquis, ut si dicas: *Omnis potestas est a Deo, regnum est potestas, ergo regnum est a Deo*, ut autem talis Syllogismus bene concludat qui aliquando deceptorius est, sequentes sunt Regule notandæ, Prima in modis affirmativè concludentibus, si una tantum propositio fuerit ex obliquis tunc sequitur bene conclusio ex obliquo, dummodo hæc duo observes, videlicet ut una extremitas obliqua in antecedente sit obliqua in consequente; alterum ut cum medium fuerit obliquum in una propositione, extremitas alterius propositionis sit obliquum in conclusione, ut *Omnis virtus est honestas, in omni probo est virtus, ergo in omni probo est honestas*, & pro observatione secunda: *Omne vitium est malum, quædam appetitio est vitium, ergo quædam appetitio est mala*; Secunda in modis negativè concludentibus, si affirmativa propositio fuerit ex obliquo tantum, nulla sequitur conclusio, si verò sola negativa fuerit ex obliquo, sequetur conclusio ex obliquo, dummodo eadem prænotata supra animadvertes, verbi gratia hic discursus nihil concludit, *Nullus sol est animal, Omnis equus est a sole, ergo nullus equus est animal, vel ab animalis*, hic verò concludit, *Nullum vitium est a Deo, omnis acceptio personarum est vitium, ergo nulla personarum acceptio est a Deo*. Tertia in modis affirmativè concludentibus si ambæ propositiones fuerint ex medio obliquo, aut utraq; ex extremitatibus obliquis nulla sequitur conclusio, si verò rectis, si ex obliquo, ut patet in his discursibus, *Cuicumq; homini inest intellectus, cuicumq; homini inest sensus, ergo sensus est intellectus: Omnis regis est distribuere officia, Parasitus est Regis, ergo Parasitus est distribuere officia: Omnis locutio est a lingua, Omnis locutio est a guttore, ergo guttur est lingua, vel lingua est guttur*. Quarta in modis negativè concludentibus si ambæ præmissæ fuerint ex medio obliquo, aut utraq; ex obliqua extremitate efficitur conclusio ex rectis, ut si dicas: *Nullum iustum est contemnere pericula mortis, Cujusdam virtutis est contemnere pericula mortis, ergo quædam virtutis est iustitia*. Et quamvis Regule istæ bonæ sint, optima tamen videtur esse quam tradit Aristoteles I. prio. c. 37. scilicet ut propositiones talium syllogismorum ex obliquis, reducantur ad propositiones ex rectis, immutato earum sensu, quo facto facile erit concludere num Syllogismus ex obliquis aptè & bene concludat, ut autem taliter reducas, duplex potissimum est via, videlicet ut loco casus obliqui ponatur casus rectus, mutata aliquantulum reliqua oratione, verbi gratia in hoc Syllogismo, *Omni calori contrarium est frigus, quædam qualitas est calor, ergo eisdem qualitati contrarium est frigus, si primam propositionem sic mutes, vel dicendo, Omnis calor habet contrarium frigus, vel calor & frigus sunt contraria, quædam qualitas est calor, ergo quædam qualitas habet contrarium frigus*; Altera via est ut ex sensu colligatur & eliciatur rectus casus alterius nominis cui adjungatur idem obliquus;

liquus; ut sic primum Syllogismum supra positum, *Omni potestas est à Deo*, hoc modo reducatur, *Omni potestas est donum à Deo*, vel *donum Dei*, *Regnum est potestas*, ergo *Regnum est donum à Deo*, vel ergo *regnum est donum Dei*, quod faciendo facile colliges bonitatem Syllogismi ex obliquis.

Restat nunc agere De Syllogismo

hypothetico, qui ille est, qui constat ex propositionibus hypotheticis, vel saltè aliqua hypothetica tanquam principali & altera simplici, Et quia propositiones hypotheticæ triplices sunt, hinc quoque triplex est Syllogismus hypotheticus, scilicet conditionalis, disjunctivus & copulativus; Exemplum primi fit hic Syllogismus, *Si Socrates est virtute præditus est laude dignus, si est iustus est virtute præditus ergo si est iustus est laude dignus*, si omnes propositiones constiter esse hypotheticas dicitur Syllogismus hypotheticus ex toto, sin verò non sunt dicitur talis ex parte, uterque tamen quatuor modis fieri potest, primò, si tam antecedens quam consequens affirmet, ut *si es homo es animal, si es logicus es homo*, ergo *si es logicus es animal*; Secundò si tam antecedens quam consequens neget ut *si non studes non es sapiens, si vagaris non studes, ergo si vagaris non es sapiens*; Tertiò si antecedens neget & consequens affirmet, ut *si Gabriel non est corpus est spiritus, si Gabriel est angelus non est corpus, ergo si Gabriel est angelus est spiritus*, Quarto quando antecedens affirmat & consequens negat, ut *si es homo, non es brutum, si es logicus, es homo, ergo si es logicus, non es brutum*.

Syllogismus disjunctivus est qui constat ex propositionibus disjunctivis, ejus sunt præcipue duo modi, unus à sufficienti partium enumeratione cum destructione unius, vel plurium partium, ut tandem aliqua pars quæ scilicet remanet affirmetur & adstruatur, ut *vel es calidus, vel tepidus, vel frigidus, vel non es calidus, nec tepidus, ergo es frigidus*. Alter modus est quando Syllogismus constat ex talibus propositionibus inter se oppositis quæ non sunt natæ de eodem verificari, tunc enim bona fit argumentatio ab unius affirmatione ad alterius negationem, ut *numerus vel est par, vel est impar, sed est par, ergo non est impar*, isti duo modi facile reducuntur ad Syllogismum categoricum quem semper in se includunt implicitè, ut verbi gratiâ secundus sic potest reduci: *Opposita de se invicem verificari non possunt, sed par & impar sunt opposita circa numerum, ergo de eodem numero verificari non possunt, si ergo aliquis numerus est par non potest esse impar*. Huc spectat argumentatio ex dilemmate.

Syllogismus Copulativus est qui constat ex propositionibus copulativis, ut *Omni equus & omni homo currit, Bucephalus est equus, & Socrates est homo, ergo Bucephalus & Socrates currunt*, qui Syllogismus continet duos categoricos in Darii, ad quem spectant generatim omnes qui fiunt ex propositionibus complexis, ut sunt argumentationes à pari. verbi gratiâ *sicut se habent duo ad quatuor, ita se habent quinque ad decem, sed duo sunt pars dimidia quaternarii, ergo quinque sunt pars dimidia denarii*. Hi tamen Syllogismi non habent ut immediatè concludant ratione debitæ dispositionis & aliarum Regularum Syllogisticarum, sed solum mediatè

in quantum unum vel plures Syllogismos categoricos includunt, & ad eos reducuntur, idè superfedeo fulius de iis agere; De Syllogismis verò demonstrativo, topico & sophistico inferius redibit sermo.

QUÆSTIO II.

De materia & forma Syllogismorum.

Ante Resolutionem Notandum

Syllogismum esse quoddam compositum rationis ad minus, & sic aequaliter rationem compositi participat, quodlibet autem compositum materiam & formam tanquam partes constituentes exigit, hinc est quòd post indagacionem naturæ Syllogismi ejus quoque partes constituentes examinandas assumam, Itaque non agimus hinc de materia Syllogismi circa quam, sed de materia ex qua, quæ in quolibet Syllogismo duplex est, scilicet proxima & remota; Proxima sunt ipsæ propositiones ex quibus Syllogismus conficitur, & idè proxima materia dicuntur quia proximè ad confectiõnem Syllogismi concurrunt; Alia est remota & sunt termini, qui idè hoc nomine compellantur, quia non immediatè, sed mediantibus propositionibus ad constituendum Syllogismum concurrunt, Et quia in Syllogismo non debent esse plures quàm tres propositiones, ita etiam non requiruntur ad Syllogismum plures quàm tres termini, ex quibus tres illas propositiones fieri necesse est, ut autem fiant tres propositiones ex tribus terminis erit omninò necessarium ut quilibet bis repetatur, ratio est, quia vis cujusque Syllogismi benè concludentis in eo consistit, quòd inferatur unum connexum cum alio tanquam prædicatum & subjectum in conclusione, quia illa erant in præmissis connexa uni tertio itaque primò connectitur unum extremum cum tertio & est una propositio, postea convertitur alterum extremum cum illo eodè tertio & est altera propositio, & si deprehenditur quòd benè majus & minus extremum uniantur cum tertio, tandem inferuntur ipsa in conclusione unita inter se, verbi gratiâ in hoc exemplo, *Omne animal est vivens, omni homo est animal, ergo omni homo est vivens*, in quo tres termini sunt, *Animal, vivens, & homo*, ex quibus totus iste Syllogismus conficitur, & quia *ly vivens* & tò *homo* deprehenduntur aptè unita cum *animali* primis propositionibus, idè in conclusione inferuntur unita inter se. Notandum autem quòd illud tertium cum quo in præmissis quodlibet extremum uniri debet vocetur *medius terminus*, cujus est quod nunquam ingrediatur conclusionem, benè tamen majus & minus extremum, dicitur autem *majus extremum* ille terminus qui connectitur cum medio termino in majori, ut in Syllogismo dato *Animal* est *medius terminus*, quia tam in majori quam minori repetitur, & conclusionem non ingreditur, *vivens* verò est *majus extremum*, seu *major extremitas*, ut aliis placet: ille verò terminus qui connectitur cum medio termino in minori propositione dicitur *minus extremum*, seu *extremitas minor*, estque in Syllogismo dato tò *homo*, unde *homo & vivens* etiam ingrediuntur conclusionem. Aliquibus hæc compellationes majoris & minoris extremitatis non placent, sed putant quòd illa sit major

I. Materia Syllogismi est duplex, proxima & remota.

II

III

IV

V

VI

VII

VIII

IX

X

XI

XII

XIII

XIV

XV

XVI

XVII

XVIII

XIX

XX

XXI

XXII

XXIII

XXIV

XXV

XXVI

XXVII

XXVIII

XXIX

XXX

XXXI

XXXII

XXXIII

XXXIV

XXXV

XXXVI

XXXVII

XXXVIII

XXXIX

XL

XLI

XLII

XLIII

XLIV

XLV

XLVI

XLVII

XLVIII

XLIX

L

LXI

LXII

LXIII

LXIV

LXV

LXVI

LXVII

LXVIII

LXIX

LXX

LXXI

LXXII

LXXIII

LXXIV

LXXV

LXXVI

LXXVII

LXXVIII

LXXIX

LXXX

LXXXI

LXXXII

extremitas quæ sub se habet medium, seu quando terminus est prædicatum de medio, sive postea præ- seu postponatur fundantq; se in aliqua autoritate Aristotelis I. prior. cap. 5. dicentis majorem extremitatem esse sub qua est medium, scilicet subiectum, attamen Aristoteles in textu illo non loquitur de alia extremitate, quam quæ est in prima figura, & quod sic ejus mens sit tum ex contextu patet, tum quia aliàs in secunda & tertia figura non posset assignari major, vel minor extremitas, quia in una medium semper subjicitur in altera verò bis prædicatur.

II.
Forma Syllogismi est ratio propter quam unum ex alio insertur, talisq; ratio duplex est, duplicem constituens formam duplici materiae Syllogismi correspondentem Proximam scilicet & remotam, forma remota est, quæ versatur ad disponendam & ordinandam materiam remotam, & vocatur figura, quæ defini potest, Quod sit apta dispositio terminorum secundum subjectionem & prædicationem: Forma proxima est, quæ versatur ad disponendas & & coordinandas propositiones, diciturq; modus, qui defini potest, Quod sit debita & apta dispositio propositionum in debita & apta quantitate & qualitate, scilicet ut omnes sint particulares, sed universales aliquæ, nec omnes negativæ, sed etiam sint aliquæ affirmativæ.

Forma Syllogismi est ratio propter quam unum ex alio insertur, talisq; ratio duplex est, duplicem constituens formam duplici materiae Syllogismi correspondentem Proximam scilicet & remotam, forma remota est, quæ versatur ad disponendam & ordinandam materiam remotam, & vocatur figura, quæ defini potest, Quod sit apta dispositio terminorum secundum subjectionem & prædicationem: Forma proxima est, quæ versatur ad disponendas & & coordinandas propositiones, diciturq; modus, qui defini potest, Quod sit debita & apta dispositio propositionum in debita & apta quantitate & qualitate, scilicet ut omnes sint particulares, sed universales aliquæ, nec omnes negativæ, sed etiam sint aliquæ affirmativæ.

III.
Figura Syllogismi est triplex.

Figura Syllogismi ex Aristotele I. prio. Triplex est, Prima, medius terminus semel subjicitur & semel prædicatur; Secunda quando medius terminus in utraq; præmissa prædicatur, & tertia quando medius terminus in utraq; præmissa subjicitur: quæ ad captum faciliorem hoc carmine exprimentur *Sub Præ prima, bis præ secunda, tertia bis sub*, Cujus sensus est, quod medius terminus in prima figura debeat esse subiectum & prædicatum, in secunda bis prædicatum, in tertia bis subiectum. Secundum Galenum verò sunt quatuor figurae, nam putat distinctas figuras constitui per hoc, quod scilicet medius terminus in majori subjiciatur & in minori prædicetur, & quod in majori prædicetur, in minori subjiciatur, quod utrumq; Aristoteles comprehendit sub prima figura, scilicet Sub, Præ, parum curando an in majori subjiciatur, & in minori prædicetur & contra, hinc quia istæ duæ combinationes terminorum, ex quibus oritur multiplicitas figurarum non sunt essentialiter diverstæ, idè simpliciter à Peripateticis rejicitur, non quidem tanquam falsa & deceptoria, sed tanquam supervacanea coincidens cum prima Aristotelis.

IV.
Modi Syllogismorum vari.

Modus Syllogismi in qualibet figura multiplex esse potest, secundum multiplicem variationem quantitatis & qualitatis propositionum, sive postea apti sunt ad concludendum, seu inepti, ita quod decies sexties in qualibet figura modus variari possit, Ratio est, quia in omni figura, vel utraq; præmissa est universalis, vel utraq; particularis, vel major univer-

salis & minor particularis, vel major particularis & minor universalis, quæ variationes se habent penes quantitatem tantum, secundum qualitatem iterum toties variari potest, quia vel ambæ possunt esse affirmativæ, vel ambæ negativæ, vel major affirmativa & minor negativa, vel major negativa & minor affirmativa, & iterum affirmativas & negativas, universalibus & particularibus combinando denum resultabant octo modi, & sic in universum sexdecim modi darentur in qualibet figura, verumtamen quia plures ex iis inutiles sunt ad concludendum idè à Philosophis novendecim tantum tanquam utiles ad concludendum assumuntur, cum alioquin in universum essent quadraginta octo distincti modi. Ex illis verò unde viginti, sex spectant ad tertiam figuram, quatuor ad secundam, & novem ad primam, quorum primi quatuor directè concludunt, alii quinque, indirectè, ille autem modus dicitur indirectè concludere in cujus conclusione major extremitas prædicatur de minori, contra verò ille concludit indirectè in cujus conclusione minor extremitas prædicatur de majori, Omnes modi utiles Syllogismorum sequentibus versibus comprehenduntur.

Barbara, Celarent, Darii, Ferio, Baralip-ton, Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisefomorum, Casare, Camestres, Festino, Baroco, Darapti,

Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

Ubi Notandum Primos duos versus exprimere modos primæ figuræ, dictiones quatuor priores modos directè concludentes à Baralip-ton verò usque ad Frisefomorum inclusivè utrumq; modos indirectè concludentes; Casare, Camestres, Festino, Baroco, denotant modos secundæ figuræ, reliqua verò vocabula sex modos tertiæ figuræ: Notandum ulterius in qualibet dictione primam syllabam denotare majorem propositionem, secundam minorem, & tertia conclusionem, quod si contingat in aliqua plures quam tres reperiri syllabas, non est cor apponendum, quia tale additamentum solum factum est metri gratia, & hoc solum accidit in Baralip-ton & Frisefomorum? Item revocandæ sunt significationes vocalium A. E. I. O. quas supra attuli agendo de propositionibus, A scilicet, significare universalem affirmativam, E universalem negativam, I particularem affirmativam, & O particularem negativam, unde quia in Barbara reperiuntur tria A denotat Syllogismum in hoc modo factum debere consistere tribus propositionibus universalibus affirmativis, Quia autem in Celarent reperiuntur E. A. & E. denotatur Syllogismum factum in isto modo debere consistere majore universalis negativa, & conclusionem universalis negativa, & sic de cæteris discurre, res enim ex dictis satis clara videtur ut superfluum sit omnes modos & eorum dictiones sic speciatim explicare, unde Tyronum commoditati consulendo pro singulis modis cujuslibet figuræ exempla addenda duxi.

Exem-

Exempla pro quatuor modis 1. Figuræ directè concludentibus.

BAR	Omne bonum est expetendum.	Omne animal est substantia,
BA	Omni virtus est bona,	Omnis homo est animal,
RA	Ergò omni virtus est expetenda.	Ergò omnis homo est substantia.
CE	Nullum bonum est fugiendum,	Nullus lapis est animal,
LA	Omni virtus est bona,	Omnis Adamas est lapis,
RENT	Ergò nulla virtus est fugienda.	Ergò nullus Adamas est Animal.
DA	Omne vitium fugiendum est,	Omnis homo est rationalis,
RI	Aliqua consuetudo est vitium,	Aliquod animal est homo,
I	Ergò aliqua consuetudo est fugienda.	Ergò aliquod animal est rationale,
FE	Nullus timidus est felix,	Nullus spiritus est corpus,
RI	Quidam dives est timidus,	Aliqua substantia est spiritus,
O	Ergò quidam dives non est felix.	Ergò aliqua substantia non est corpus.

Exempla pro quinque modis ejusdem Figuræ indirectè concludentibus.

BA	Omne animal est substantia,	Omne rationale est intellectivum,
RA	Omnis homo est animal,	Omnis homo est rationalis,
LIPTON	Ergò quædam substantia est homo.	Ergò quoddam intellectivum est homo.
CE	Nullum animal est lapis,	Nullus fortis est timidus,
LAN	Omnis homo est animal,	Omnis sapiens est fortis,
TES	Ergò nullus lapis est homo.	Ergò nullus timidus est sapiens.
DA	Omne bonum est expetendum,	Omnis leo est animal,
BI	Quidam labor est bonus,	Aliquod rugibile est leo,
TIS	Ergò quoddam expetendum est labor.	Ergò aliquod rugibile est animal.
FA	Omne animal est corpus,	Omne intellectuale est substantia,
PES	Nullum elementum est animal,	Nullus lapis est intellectus,
MO	Ergò aliquod corpus non est elementum.	Ergò aliqua substantia non est lapis.
FRI	Quædam arbor est vivens,	Aliquis homo est Philosophus,
SE	Nullum animal est arbor.	Nullus lapis est homo.
SO	Ergò quoddam vivens non est animal.	Ergò aliquis Philosophus non est lapis.

morum.

Exempla pro quatuor modis 2. Figuræ.

CE	Nullus equus est risibilis,	Nullum lignum est animal,
SA	Omnis homo est risibilis,	Omnis leo est animal,
RE	Ergò nullus homo est equus.	Ergò nullus leo est lignum,
CA	Omnis diligens iniquitatem odit animam suam.	Omnis homo est animal,
MES	Nullus justus odit animam suam,	Nullum lignum est animal,
TRES	Ergò nullus justus diligit iniquitatem.	Ergò nullum lignum est homo.
FES	Nullus lapis est animal,	Nullum vitium placet Deo,
TI	Aliquis homo est animal.	Aliqua animi submissio placet Deo,
NO	Ergò aliquis homo non est lapis.	Ergò aliqua animi submissio non est vitium.
BA	Omne animal est vivens,	Omnis prudens prospicit futura,
RO	Aliqua aqua non est vivens,	Aliquis dives non prospicit futura,
CO	Ergò aliqua aqua non est animal.	Ergò quidam dives non est prudens.

Exempla pro sex modis 3. Figuræ.

DA	Omne animal est sentiens,	Omnis homo est animal,
RAP	Omne animal est corpus,	Omnis homo est risibilis,
TI	Ergò aliquod corpus est sentiens.	Ergò aliquod risibile est animal.
FE	Nullus homo est planta,	Nulla planta est sensitiva,
LAP	Omnis homo est rationalis,	Omnis planta est arbor,
TON	Ergò aliquod rationale non est planta,	Ergò aliqua arbor non est sensitiva.
DI	Aliquis lapis est viridis,	Aliquis equus est hinnibilis,
SA	Omnis lapis est corpus,	Omnis equus est vivens,
MIS	Ergò aliquod corpus est viride.	Ergò aliquod vivens est hinnibile.
DA	Omnis avarus est miser,	Omne animal est substantia,
TI	Quidam avarus est dives,	Aliquod animal est corpus vivens,
SI	Ergò quidam dives est miser.	Ergò aliquod corpus vivens est substantia.

BO
CAR
DO
FE
RI
SON

Quoddam animal non habet sanguinem,
Omne animal est vivens,
Ergo aliquod vivens non habet sanguinem.
Nullus sapiens est miser,
Aliquis sapiens est pauper.
Ergo aliquis pauper non est miser.

Aliqua planta non est lapis,
Omnis planta est vivens,
Ergo aliquod vivens non est lapis.
Nullus spiritus est corpus,
Aliquis spiritus est anima,
Ergo aliqua anima non est corpus.

QUÆSTIO III.

De Regulis generalibus Syllogismorum & particularibus conjunctis, Figura.

I. Duo potissima sunt Principia

I. Duo sunt principia ex quibus deducuntur Regulae Syllogismorum.

Ex quibus omnes deducuntur Regulae Syllogismorum; Primum est generalissimum pro quocumque Syllogismo etiam expositorio scilicet, Quæcumque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se; Et quorum unum est idem cum tertio, cum quo alterum non est idem, non possunt esse eadem inter se: hoc principium quoad primam partem regulat omnes Syllogismos affirmativos, quoad secundam omnes negativos, ita ut omnis structura Syllogistica in eo fundetur, verbi gratia proposita quæstione an, anima sit immortalis? Ad cognoscendum, an hi termini sint inter se connexi, prius videre debeo quas habeat proprietates & prædicata, ubi invenio ipsam esse incorpoream, quo invento debeo videre an incorporeū habeat connexionem cum immortalis, & si sic, tunc statim possum inferre, quod quandoquidem immortalis & anima sunt cum incorporeo connexa, quod etiam inter se connectantur, si verò corporeum non esset cum immortalis connexum, tunc statim negativè esset concludendum, nam veluti ex connexionem illorum terminorum cum medio sequitur esse connexos inter se, ita ex affirmatione unius extremi cum medio & negatione alterius sequitur non esse extremitates tales connexas inter se.

II. Secundum est dici de omni & dici de nullo.

Alterum Principium Est dici de omni, & dici de nullo, quod non est tam universale sicut primum, nam non sufficit ad regulandos Syllogismos expositorios, sed tantum illos quorum medium est terminus communis, nam huic tantum applicari possunt signa Omnis Nullus; Hoc principium quoad primam partem valet pro regulandis Syllogismis affirmativis, estque ejus sensus talis. Quod quid universaliter prædicatur de subiecto, dicitur quoque de quovis contento sub illo, ut si substantia universaliter prædicatur de animali, & omnis homo continetur sub animali, de omni homine quoque prædicabitur substantia: Secunda pars regulat Syllogismos negativos, & est ejus sensus, quod quidquid universaliter negatur de subiecto negatur quoque de quovis contento sub illo, ut quia universaliter negatur de lapide habere vitam, negatur quoque de marmore, vel silice, quia sub lapide continentur, si negatur vita rationalis universaliter plantis, negabitur quoque frutici, arbori utpotè contentis sub planta, & sic de cæteris. Ex his duobus principiis sequentes colliguntur Regulae omnibus Syllogismis communes.

III. Non debet constare nisi tribus terminis.

Regula prima est, Syllogismus non debet constare nisi tribus terminis, sive expressè, sive æquivalenter, unde non valet iste Syllogismus, Omnis canis latrat, Sydus est canis, ergo Sydus latrat, quia Canis aliter in majori propositione sumitur, aliter in minori & sic æquivalet duobus terminis.

Secunda est Terminos non debere immutari, sed eodem modo sine variatione repetendos esse quo antea prolati fuerant, unde non valet iste Syllogismus, Omnis quantitas lata est superficies, linea est quantitas, ergo linea est superficies, quia in minori omittitur ly lata quod positum erat in majori, & ideo statim variat totum sensum & combinationem adeoque nil concludit.

IV. Termini non debent mutari.

Tertia est, Quod termini in omnibus propositionibus servent eandem suppositionem secundam ampliationem, restrictionem, &c. quare nihil concluditur hoc argumento, Animal est genus, homo est animal, ergo homo est genus, nam in prima præmissa animal sumitur secundo intentionaliter, prout abstrahit ab omnibus suis inferioribus præcis, in minori verò sumitur formaliter & pro suo significato.

V. Debet semper eodem modo supponere.

Quarta est, Quod medium nunquam ingrediatur conclusionem; Hinc non valet argumentatio ista: Omne animal est substantia, aliquis homo est animal, ergo aliquod animal est substantia, Quia quilibet terminus non debet in syllogismo poni nisi bis, adeoque cum medius terminus bis ponatur in præmissis non debet poni in conclusione tertio, & consequenter ratio medii termini qui ideo bis in præmissis ponitur ut ex connexionem quam habent extrema cum illo, in conclusione inferantur connexa inter se. Quare licet in dato Syllogismo conclusio teneat & vera sit, non tamè sequitur nisi vi materiæ, non verò vi formæ, quod si verò deprehenderetur aliquis qui videretur concludere vi formæ ut est iste, Omnis homo est animal, homo est homo, ergo homo est animal, ubi homo medius terminus conclusionem ingrediatur, tunc dicendum quod in hoc & simili Syllogismo medium ingrediatur conclusionem, non ut medium, sed ut extremum.

VI. Medium non debet ingredi conclusionem.

Quinta est, Quod medius terminus in majori, vel minori distribui debeat, id est, quod debeat universaliter accipi pro omni re pro qua accipi potest, unde pessimus est iste Syllogismus; Aliquod animal est rationale, Omnis equus est animal, ergo omnis equus est rationalis, quia Animal quod est medius terminus nec in majori, nec minori distribuitur sufficienter, Notandum autem non sufficere quam cumque distributionem, sed debet completè distribui, Hinc pessimus est iste Syllogismus, Omne animal fuit in arca Noë, Bucccephalus est animal, ergo Bucccephalus fuit in arca Noë, quia licet major sumatur distributive pro omnibus speciebus non tamè sumitur distributive pro omnibus individuis, adeoque non sufficienter distribuitur quia non sumitur pro omni re pro qua accipi potest. Quomodo autem medius terminus in secunda figura distribuat videtur esse difficultas, quia in illa semper est prædicatum, quod nunquam notatur in sententia Aristotelis signo universalis; At tamè respondeo quod medius terminus in hac figura distribuat per negationem quæ

VII. Medius terminus debet distribui.

quæ negat copulam verbi, unde quia in hac figura semper aliqua ex præmissis est negativa, semper etiam medius terminus distribuitur, verbi gratia in hac propositione, lapis non est animal, ita sensus eius est, lapis non est hoc animal, nec illud, nec istud, nec ullum aliud, & sic de cæteris.

VIII. *Præmissa in syllogismo non distribuitur nisi in minori.*

Sexta est, Quod nullus terminus qui non fuerit distributus in præmissis distribuatur in conclusione. Hinc pessimus est Syllogismus iste, *Omne animal est sensus capax, omne animal est substantia, ergo omnis substantia est sensus capax*, quia *ly substantia* quod non distribuitur in minori, seu quod non universaliter accipitur distribuitur & accipitur universaliter in conclusione: Et hæc est ratio, quod nec *Darapti*, nec *Felapton*, nec illi duo modi indirecte concludentes *Baralipon* & *Kepeino* universalem habeant conclusionem, licet contentent præmissis universalibus, nam si universalem conclusionem inferres, faceres argumentum à termino non distributo ad terminum distributum, ut facile consideranti patebit.

IX. *Præmissa in syllogismo non distribuitur nisi in minori.*

Septima est, Ut quotiescunq; una ex præmissis est negativa, quod conclusio quodammodo negativa esse debeat, & quoties aliqua est particularis ut etiam conclusio sit particularis; Ratio huius Regule est, quia conclusio sequitur semper debiliorem partem suæ causæ, adeoq; quia negativa debilior est affirmativa, & particularis universalis, hinc si præcat negativa, si particularis, etiam talis ut sit conclusio necesse est, unde si in Syllogismo altera propositio est negativa & altera particularis, conclusio erit simul negativa & particularis.

X. *Præmissa in syllogismo non distribuitur nisi in minori.*

Octava est, Quod ex duabus particularibus præmissis nihil concludatur quomodocunq; sint ordinata & disposita quoad affirmationem & negationem, unde pessime concludit hic Syllogismus, *Aliquod animal est homo, aliquis equus est animal, ergo aliquis equus est homo.* Notandum tamen hanc non esse ita universalem ut comprehendat etiam Syllogismum expositivum, in quo ex puris particularibus sequitur conclusio particularis, ex eò quia ejus terminus est completè distributus unde regula ista tenet in aliis Syllogismis quorum medius terminus communis est, adeoq; nequit in particularibus præmissis distribui, consequenter nec potest aliquid concludere, subintelligit semper vi formæ, quia vi materiæ dubitum non est quin aliquando concludat, ut patet in hoc Syllogismo, *Aliquod animal est substantia, aliquis homo est animal, ergo aliquis homo est substantia.* Advertendum etiam est ex propositionibus hypotheticis, & itis quæ videntur esse particulares, cum æquivalent universalibus posse conclusionem particularem ex particularibus, ut contingit in hoc Syllogismo: *Si aliquis homo currit aliquod animal movet pedes, sed aliquis homo currit, ergo aliquod animal movet pedes,* unde ista regula universalis tantum est pro Syllogismis categoricis, non verò hypotheticis.

XI. *Præmissa in syllogismo non distribuitur nisi in minori.*

Nona est, Quod si utraq; præmissa negativa fuerit, nihil ex eis sequitur, Quare conclusio ista non valet, Nullus homo est irrationalis, nullus equus est homo, ergo nullus equus est irrationalis, notandum tamen vi materiæ posse aliquid sequi, & etiam istam regulam valere pro solis Syllogismis

gignis categoricis prout supra dixi in proxima regula, non verò de hypotheticis. Et hæc de regulis Syllogismorum in communi, nunc ad particulares.

Pro prima Figura Duæ assignantur

XII.

Pro prima Figura sunt duæ particularis Regule.

Regula, Prima est quod in hac Figura quilibet Syllogismus factus ut directè concludat, debeat major esse universalis, & ratio est, quia si particularis esset major, jam non distribueretur medius terminus, non in majori, quia particularis esset, nec in minori, quia tunc medius terminus prædicatur, & sit universalis affirmativa non poterit distribui contra datam regulam quintam. Secunda Regula est, Quod in hac Figura minor nunquam sit negativa, sed semper affirmativa, & huius Regule ratio est, quia alioquin in conclusione distribueretur aliquis terminus qui non esset distributus in præmissis, & sic esset argumentatio à termino non distributo ad distributum, contra regulam sextam. Notandum autem utramq; regulam datam esse pro Syllogismis directè concludentibus, quia in illis qui indirectè concludunt aliquando major potest esse particularis & minor negativa, quod si adhuc aliquis Syllogismus directè concluderet, cujus tamen major particularis esset id non eveniret vi formæ, sed vi materiæ, quia si vi formæ, id deberet etiam in quolibet contingere quod tamen falsum est ut patet in hoc Syllogismo, *Aliquod animal est irrationale, Omnis homo est animal, ergo aliquis homo est irrationale.* Hæc duæ Regule hoc comprehendunt verfu:

Sit minor affirmans, nec major sit specialis.

Pro secunda Figura, Duæ similiter

XIII.

similiter pro secunda.

assignantur Regule: prima est quod in hac figura ex puris affirmativis nil sequatur, ratio est, quia cum ambæ sint affirmativæ medium non distribueretur eò quod in utraq; præmissa sit prædicatum, unde falsus est Syllogismus, *Omnis homo est substantia, omnis equus est substantia, ergo omnis equus est homo.* Secunda Regula est, Quod in hac figura ex majori particulari nihil sequatur, ratio est, quia tunc procederetur à majori extremo non distributo ad idem in conclusione distributum, ut si dicas: *Aliquod vivens non est sensitivum, omnis equus est sensitivus, ergo aliquis equus non est vivens,* vivens enim in majori non sumitur generaliter & universaliter pro omni viventi, sed pro aliquo tantum, & in conclusione sumitur universaliter; hæc regulæ sequenti exprimantur carmine.

Una negans præcat, nec major sit specialis,

Pro tertia Figura Duæ sunt etiam

XIV.

sicut & pro tertia.

speciales Regule sicut in præcedentibus. Prima est, quod ex minori negativa nihil concludatur, ratio est, quia alioquin procederetur à prædicato majoris non distributo ad ipsum in conclusione distributum, ut: *Omne animal est vivens, Nullum animal est planta, ergo aliqua planta non est vivens.* Secunda quod Conclusio debeat esse particularis, quia aliàs progredederetur à minori extremo non distributo ad idem distributum in conclusione, ut si dicas: *Omnis equus est hinnibilis, Omnis equus est sapiens, ergo omne sapiens est hinnibile,* in quo sapiens non distribuitur in minori, cum tamen sit distributum in conclusione in qua est

subiectum. Ultraq; hæc regula in isto continetur carmine.

Sit minor affirmans, Conclusio sit specialis.

QUÆSTIO IV.

De Reductione Ostensiva Syllogismorum.

I.
Explicatur
quid sit re-
ductio Syllo-
gismorum.

Per reductionem impræsentiarum aliud intelligo nihil, quam viam aliquam & modum quo demonstratur consequentia alicujus Syllogismi ex evidentiâ alterius Syllogismi, nam ex omnibus undeviginti supra recensitis modis non nisi quatuor primi sunt perfecti, reliqui omnes vocantur etiam ab Aristotele imperfecti, non quidem dicuntur ea ratione imperfecti quâ enthymema dicitur imperfectus Syllogismus, sed idè quia una re aut pluribus indigent ut eorum concludendi necessitas appareat, & tales sunt posteriores quindecim modi, qui non ita concludunt ut eorum evidentiâ statim appareat, esto directè concludant, sed unusquisq; aut eget una, vel pluribus conversionibus, vel de ductione ad id quod fieri nequit, aut expositione quibus consequentiæ necessitas demonstratur: Perfecti è contra Syllogismi sunt, qui nulla re indigent ut eorum vis & concludendi necessitas appareat, adeoq; nulla arte indigent ad ostendendam consequentiæ evidentiâ, & tales sunt priores quatuor modi primæ Figuræ, ad hos proinde quatuor modos omnes reliqui reduci debent, quod potest fieri duplici modo scilicet per ostensionem, de qua in hac quæstione, & per impossibile, de qua in sequenti sermone erit. Ostensio itaque, seu ductio ostensiva, est via & modus quo ostendimus & quasi digito demonstramus aliquem Syllogismum per dici de omni, & dici de nullo regulari, sitq; vel per conversionem propositionum, vel per transpositionem, vel utroq; modo, quia ostensio eo collimat ut demonstret præmissas clariori disponi posse modo, Tota autem vis hujus reductionis ostensivæ innititur huic principio & generali Regulæ, quidquid sequitur ex consequente, sequitur ex antecedente, quia ergò bona est consequentiâ à conversa ad convertentem quidquid sequitur ex convertente, sequitur ex conversa, sed talis evidentiâ conclusio sequitur ex convertente ut patet ex Syllogismo perfecto, ergò eadem conclusio sequitur ex conversa, quæ facta fuerat in Syllogismo imperfecto.

Quid sit
Ostensio.

II.
Omnia vocabula habent particulares litteras.

Ut autem artificium hujus Reductionis detegatur, Notandum omnia vocabula modorum imperfectorum ita esse artificiosè composita, ut ingeniosè demonstrent quomodo quilibet sit reducendus, nam imprimis omnes modi imperfecti incipiunt ab his litteris B. C. D. E. à quibus etiam perfecti quatuor incipiunt, per quod denotatur quòd quilibet modus imperfectus reduci debeat ad eum modum perfectum qui à simili littera sicuti ipse incipit, unde quia Baralipton incipit à B. ad Barbara reduci debet, & sic de cæteris, omnes qui incipiunt à C. reducuntur ad Celarent, qui incipiunt à D. ad Darii, qui deniq; à E. incipiunt ad Ferio reduci debent, ab hac tamen Regula excipiuntur Baroco & Boecardo, qui per ostensionem reduci nequeunt, quia constant duabus particularibus negativis qui nulla conversione fieri possunt universales

affirmativæ, quibus necessariò constare debet Syllogismus factus in Barbara ad quem reducendi essent, hi ergò duo modi reducuntur per impossibile.

Notandum 2. In omnibus dictionibus Syllogismorum imperfectorum reperiri saltem aliquam, ex litteris sequentibus S. P. M. C. quarum significatio hæc est S. significat propositionem significatam per litteram antecedentem convertendam esse simpliciter, littera P. significat convertendam esse per accidens, littera M. denotat præmissas commutandas esse, ita ut ex minori verbi gratiâ fiat major, & è contra ex majori minor. Littera vero C. in Boecardo & Baroco reperta tantum, insinuat illos duos modos non posse converti simpliciter & reduci per viam ostensivam, sed debere reduci per impossibile, Tota hæc explicatio comprehenditur per subsequens carmen:

*S. vult simpliciter verti; P. vero per acci;
M. vult transponi, C. per impossibile acci.*

Hinc est quòd quamvis superius docuerim propositiones denotatas per litteram I. convertendas esse simpliciter juxta datam regulam Feci simpliciter, &c. Non esse tamen hic eandem rationem, nam quidem verum est particulares propositiones convertendas esse simpliciter, si secundum se præcisè considerentur, si verò considerentur in quantum subest certo modo Syllogismi, & veluti facta ex propositione universalis conversa antè in particularem per accidens, tunc iterum in eandem universalem converti poterit, quare Conclusio in Baralipton quia nihil aliud est quam conclusio indirecta in Barbara, ut consideranti patebit, potest iterum in materiam conversam per accidens reduci, quia sic non novam rationem, sed pristinam reacquirit, Ex quo colliges facillè quomodo Baralipton reducatur per ostensionem ad Barbara, scilicet quòd Conclusio quæ particularis est propter litteram P. subsequenter fieri debeat universalis, ut si dicas: Omne animal est substantia, Omnis homo est animal, ergò aliqua substantia est homo, qui Syllogismus prout jacet est in Baralipton, si tamen per accidens mutes conclusionem dicendo, Ergò omnis homo est substantia, jam Syllogismus perfectus est in Barbara, simili modo sine ulla fatigatione reducuntur Celantes & Darii ad Celarent & Darii, si tantum conclusionem propter subsequentem litteram S. veritas simpliciter. In Fapesmo verò quia præter litteram F. initialem ob quam ad Ferio reduci debet reperitur P. S. M. Itaq; ob litteram M. Præmissæ debent transponi, ac major fieri minor, & è contra, ob P. verò major debet converti per accidens, minor vero ob litteram S. debet converti simpliciter, ut in hoc exemplo patere potest, ubi Syllogismus hic est in Fapesmo, Omnis equus est hinnibilis, Nullus homo est equus, ergò aliquod hinnibile non est homo qui sic reducitur ad Ferio: Nullus equus est homo, Aliquod hinnibile est equus, ergò aliquod hinnibile non est homo, similiter fit in Erisomorum, ut tibi autem tota hæc doctrina clarior resdatur subsequentem appono figuram, quam si quis paulò attentius inspexerit totius apparentis difficultatis deprehendet enodationem.

III.
Explicatur
significatio
litterarum.

VI.

QUÆ





Omissi ex hac figura BAROCO et BOCARDO, quia supra dixi eos non reduci ostensive, sed per impossibile

QUAESTIO V.

De Reductione Per Impossibile.

Sicut priorem ita & hanc quaestio- nem expediam breviter, quoniam in his mate- riis plus est defudationis & laboris quam uti- litatis & fructus, & citius ingenium investigan- do obfuscat quam illustretur, quare Nota in hac reductione non servari quod imperfectus modus ad eum perfectum reducatur cum quo convenit in littera initiali, verbi gratia Baroco ad Barbara, qui autem ordo sit servandus infra dicam. Itaque ad ipsam difficultatem prius ac- cedendo.

Reductio Per Impossibile,

Est illa, qua deducimus ex propositionibus Syl- logismi imperfecti & contradictoria conclu- sionis per Syllogismum perfectum ut proterve negans conclusionem, contradictoria vel con- traria cogatur admittere, quae contradictoria cum simul esse sit impossibile, ideoque vocatur etiam haec reductio *Ad impossibile, vel per impossi- bile*, unde cogitur Adversarius, vel negare id quod jam concesserat, vel concedere duo con- tradictoria esse simul vera, & fundatur hic re- ducenti modus in illo principio, In bona con- sequentia ex contradictorio consequentis se- quitur contradictorii antecedentis; Hoc gene- re reductionis, quamvis Baroco & Bocardo neces- sario reducatur, ut pote qui alia via reduci non possunt, nihilominus non solum isti duo modi, verum etiam omnes omnino imperfecti congrue reducuntur, Ut autem reductio haec magis clarificetur.

Notandum est Regulam generalem

esse in hac reductione, ut semper attendatur ad Conclusionem negatam in modo imperfecto, quod fieri consuevit aut quando aliquis vult protervere, aut existimat, Syllogismum non esse in forma, quam si habet quis perfectam, assumat ejusdem conclusionis negatae contradic- toriam & ponat illam loco alicujus praemissae, cui apponatur altera aliqua praemissa, ex quibus facile inferre poterit contradictorium praemissae unius antea concessae, & sic Adversarius debet admittere duas propositiones contra- rias vel contradictorias, Verumtamen quia ex hac generali non sufficienter dignoscitur, qualis praemissa, contradictoria propositio Con- clusionis regula negata fieri debeat, ideo spe- ciales Regulae assignantur pro qualibet figura.

Pro prima Figura Regula est, ut

Contradictorium Conclusionis negatae ponatur loco majoris, & major fiat minor, sicque pro Conclusionem inferatur oppositum minoris antea concessae, verbi gratia in hoc Syllogismo facto in Baralipon, *Omne Animal est vivens, Omnis homo est animal, Ergo aliquod vivens est ho- mo*, si quis hanc negaret consequentiam, tunc loco majoris assumendum esset contradicto- rium videlicet. *Nullum vivens est homo*, & majo- rem priorem poneret loco minoris, *Omne ani- mal est vivens*, & sic inferre deberet contradicto- rium minoris antea concessae, ergo *Nullum animal est homo*, quod perfectissime concluderetur in Celarent, ut patet si eum combines sic: *Nullum vivens est homo, Omne animal est vivens, ergo nul-*

lum animal est homo: In quo Syllogismo majo- rem Adversarius negare non poterit, quia est contradictoria conclusionis quam antea negavit, aut si negaret, jam concederet duas contra- dictorias esse simul falsas; minorem quoque non negabit quia est eadem cum majori antea con- cessa, nec denique conclusionem, quia antea con- cessa fuerat in minori; Verumtamen haec regula non est ita universalis quin exceptionem patiatur, eamque in Celantes, in hoc namque modo loco majoris debet poni ea propositio quae antea fuerat minor, contradictoria vero propositio conclusionis antea negatae ponenda est loco minoris, & pro consequentia in ferenda est contradictoria majoris conversae simpliciter verbi gratia *Nullus homo est lapis, Omne risibile est homo, ergo nullus lapis est risibilis*, qui Syllogismus factus est in Celantes, & hoc modo reduci debet ad Darii (quare autem ad Darii dicam inferius) *Omne risibile est homo*, quae propositio erat antea minor; *Aliquis lapis est risibilis*, ponatur loco mi- noris, nam hoc est contradictorium conclusio- nis antea negatae; pro conclusione inferatur, *Ergo aliquis lapis est homo*, quae est contradictoria majoris simpliciter versa, nam si haec Propositio, *Nullus homo est lapis* vertatur simpliciter, ef- ficietur haec propositio, *Nullus lapis est homo*, cu- jus contradictorium est, *Aliquis lapis est homo*, quod per reductionem directe inferatur in Darii, ut eum hoc modo combinanti patet. *Omne risibile est homo, aliquis lapis est risibilis, ergo aliquis lapis est homo.*

Pro secunda Figura, Assignatur

haec regula, Quod scilicet in modis hujus fi- gurae major propositio non varietur, sed tan- tum minor cujus loco ponendum est contradic- torium conclusionis negatae, & pro conclu- sione inferendum contradictorium minoris, Exemplum sit in hoc Syllogismo facto in Cesa- re. *Nullus lapis est animal, Omnis homo est animal, ergo nullus homo est lapis*, hic Syllogismus si quis con- sequentiam negaret, ad Ferio reducitur hoc mo- do: *Nullus lapis est animal*, quae antea fuit major & nunc etiam manet, loco minoris ponitur haec propositio, *Aliquis homo est lapis*, quae est contra- dictoria conclusionis negatae, & pro conclusio- ne inferatur contradictorium minoris, *Ergo ali- quis homo non est animal*, combina Syllogismum & videbis quod directe concludat in Ferio.

Pro tertia Figura, Econtra assignatur

pro Regula ut in modis hujus figurae redu- cendis minor nullo modo varietur, sed maneat ut ante invariata, pro majori vero assumatur contradictorium conclusionis negatae, & pro Conclusionem inferatur oppositum majoris antea concessae, dixi notanter oppositum & non contradictorium, propter Darapti & Felapton, in quibus non inferatur contradictorium immedia- te, sed contrarium, in reliquis vero inferatur immediate contradictorium. Exemplum in Da- rapti sit hoc: *Omnis homo est animal, omnis homo est risibilis, ergo aliquod risibile est animal*, Qui sic reducitur ad Celarent, *Nullum risibile est animal*, quod est contradictorium conclusionis negatae, sit pro majori, & minor ponatur eadem quae prius *Omnis homo est risibilis*, & pro conclusione inferatur legitime, *Ergo nullus homo est animal*, quod

F &

V.

Regula pro secunda figura.

VI.

Regula pro tertia.

I.

II.

III.

IV.

per sequentes particulas distinguitur. Dicitur
 veris nam ex talibus demonstrari debet & con-
 stare, ait enim Aristoteles quod non est, non sci-
 tur, id est falsi non potest esse scientia, ut non potest
 sciri hominem esse lapidem quia id falsum est,
 Neq; dicas ex premissis falsis posse elici conclu-
 sionem veram, ut si probem omnem hominem
 esse rationalem, ex eo quod omnis homo sit
 equus, & omnis equus sit rationalis, ex quibus
 premissis tanquam causis sequitur conclusio
 quod homo sit rationalis, verum tamen ex his
 non sequitur data conclusio, vi materie neces-
 saria, sed vi forme Syllogistice, hic agimus autē
 de Syllogismo qui ratione materie concludit,
 & etiam ratione forme simul. Dicitur ex primis
 & immediatis, quia premissa debent carere me-
 dio per quod demonstrantur, sicq; debent esse
 immediatē & etiam eatenus primæ, cum nulla
 sit prior propositio qua probari possint, rationē
 assignat Aristoteles quia si non fuerint primæ,
 non poterimus perfectam habere notitiam nisi
 per precedentem earum demonstrationem, qua-
 re primis erunt demonstrandæ ut simpliciter sci-
 re faciant, & hinc est quod si quandoq; fiat de-
 monstratio ex premissis non immediatis, sed
 mediatis, idē adhuc subsistat, quia ad primas
 immediatas & indemonstrabiles reducuntur,
 unde dixit Aristoteles i. Top. 1. cum ex veris
 & primis Syllogismus constat, vel ex ejusmodi
 quæ à quibusdam veris & primis suæ cognitio-
 nis principium sumperunt. Dicitur causis quia
 per demonstrationem generatur scientia, scire
 autem est effectum per causam cognoscere, ex
 quo etiam sequitur debere esse priores & no-
 tiores, nam causæ suo effectu priores sunt, & eo
 etiam secundum se notiores. Et hoc pro nunc
 sufficiat dixisse de Syllogismo demonstrativo,
 ut ergo ad titulum quæstionis propositæ acce-
 dam, sciendum quod

II. **Syllogismus Topicus** in Scholis
 frequentissimus est, unde etiam *dialecticus* & *pro-
 babilis* dicitur, quia vias & rationes invenit ra-
 tionem quarum de qualibet materia proposita
 disputari possit probabiliter, hinc utilissimus
 est ad exercitationem, nam illo instructus de
 quolibet problemate propositio pro & contra
 argumentari potest; Item ad hominum congrega-
 tus, ubi aliorum opinionibus auditis quæ non
 recte dicta videntur facile refelli possunt, & no-
 stra propria exactius confirmari, ut etiam ab
 Aristotele 8. Top. 4. *Epicheirema* vocetur, qua-
 si *aggressio*, quasi ad disputationem in eundem
 facilem præbens accessum. Deniq; ad verita-
 tem inquirendam accommodatissimus, nam dum
 utriusq; partis argumenta expenduntur sine du-
 bio clarius elucescit quantum habeat pars una
 veri & quantum altera falsi, ut proinde multa
 argumenta subministrat ad confirmanda quædā
 scientiarum principia, ut nullus dubitare possit
 de ejus utilitate, ut autem natura quoq; inno-
 tescat

III. Dico, **Syllogismus Topicus be-
 ne definitur**, Quod sit ille qui non ex necessariis
 sed ex premissis probabilibus, vel una saltem concludit.
 Ita Aristoteles i. Top. 1. Probat, nam ex eo quod
 dicitur Syllogismus, convenit cum demonstrati-
 vo & Sophistico, per reliquas autem particulas

ab iisdem distinguitur, nam Sophisticus ex fal-
 sis concludit, demonstrativus verò ex necesariis,
 hinc est quod dicatur, ex non necessariis,
 per quod denotatur quod Syllogismus non ge-
 neret scientiam quæ ex necessariis solum dedu-
 citur, sed opinionem, quod denotant sequentes
 particulae, per *Opinionem verò intelligo adhesionem
 intellectus alicui propositioni cum formidine de oppo-
 sito, quæ formido tamen actualis esse non est ne-
 cesse, sed intelligo virtuales & radicalem, pa-
 ret etenim quod multis conclusionibus proba-
 bilibus adhaereamus sine omni proflus formidine.*
 Additur *ex premissis probabilibus, vel una sal-
 tem &c.* quia necessarium non est quod utraq;
 præmissa sit probabilis, ad conclusionem namq;
 inferendam probabilem, sufficit una præmissa
 probabilis, quia conclusio sequitur semper de-
 biliorem partem suæ causæ, sicut à pari videri
 potest in Syllogismo falso, in quo sufficit ut una
 præmissa falsa sit ad inferendam conclusionem
 falsam. Per præmissas verò probabiles Intelligunt
 dialectici ex Aristotele supra cit. quæ videntur
 omnibus, vel plerisq;, vel sapientibus, atq; his vel omni-
 bus, vel plerisq;, vel maxime notis & claris, modò non
 sint paradoxa, id est præter omnium opinionem,
 Exempli gratia propositio apprensus omnibus
 probabilis est *Parentes diligere natos suos, obsequia
 conciliare amicos: Plerisq; divitias magno studio
 congregandas esse, par pari referendum: Omnibus
 sapientibus, Prastantiora esse bona in mente quam in
 corpore, & rebus externis, Melius esse ratione duci quam
 fortuna: Plerisq; Animos hominum esse immortales,
 Calum moveri, & stare terram; maxime verò no-
 tis, & claris, ut mundum cepisse quod dicit Plato,
 Quæ verò videntur etiam maxime notis & cla-
 ris, si sint contra omnium opinionem, non cen-
 sentur probabiles propositiones, sed velut pa-
 radoxa rejiciuntur, ut est illud Pythagoræ, ani-
 mas ex aliis corporibus in alia transigrare, & illud
 Parmenidis & Melisi omnia esse unum.*

Quid intelli-
 gendum per
 premissas
 probabiles.

Syllogismus Topicus duplicem
 quoq; habet materiam, remotam scilicet & pro-
 ximam: Remota sunt termini, proxima est
 problema, vel propositio dialectica: problema
 dialecticum autem, est *Theorema*, de quo aut
 neutram in partem sentiunt homines, aut con-
 tra pleriq; ac sapientes, aut ipsi inter se sapien-
 tes discordant, dicitur *theorema*, id est conside-
 ratione dignum, est enim illud propositum am-
 biguum, unde etiam fit ut proferatur duplici in-
 terrogationis nota, hæc vel simili formula, *An
 scilicet sit posita in voluptate, vel non?* quod prob-
 lema sic propositum facile expendi potest se-
 cundum utramq; partem. Propositio verò dia-
 lectica est interrogatio probabilis, quæ aperte
 interrogat id quod videtur omnibus aut ple-
 risq; ut, *Nonne diligunt parentes natos suos?* & hæc
 una interrogacionis nota tantum exprimitur
 explicitè secundum partem quæ probabilis vi-
 detur, quamvis implicitè alteram contradictio-
 nis partem contineat. hinc problema dialecti-
 cum & propositio dialectica differunt, sicut
 pars & totum, nam problema utramq; partem
 expressè proponit, propositio verò unam tan-
 tum partem expressè profert.

IV. **Syllogismus
 topicus dup-
 licem habet
 etiam mate-
 riam.**

Problemata & Propositiones
 Dialecticæ tripliciter dividi possunt, Pri-
 mò

V. **Dividuntur
 problemata
 seu proposi-
 tiones Dia-
 lecticæ.**

videtur mihi melior, utpotè quæ clarior & magis naturam loci explicat. Itaq;

Locus sic descriptus dividitur in Locum qui dicitur *maxima*, & in locum qui dicitur *differentia maxima*, & hunc simpliciter appellant locum, primum verò sub proprio nomine maximam duntaxat vocant; *Locus maxima* est propositio per se nota, quæ cognitio terminis statim sine ulla ulteriori confirmatione approbatur, ut *Cui convenit definitio convenit definitum*, quæ maxima dicitur, quia plures sub se continet, ut verbi gratià data has omnes, cui convenit definitio invidi etiam nomen convenit, cui convenit definitio iusti etiam nomen convenit. *Locus differentia maxima est receptaculum plurimum maximarum ejusdem generis*, ut est locus à definitione, &c. quia ex hoc loco non solum hæc eruitur maxima, cui convenit definitio convenit etiam definitum, sed etiam ista cui non convenit definitio, non convenit definitum & plures alia. Dicitur autem *differentia maxima*, non quòd ipsas maximas singillatim distinguat, sed quia diversis maximarum classibus diversam tribuat appellationem, nam quæ maxima in loco definitionis reperitur, dicitur à definitione, quæ in loco autoritatis dicitur ab autoritate, sicque ceteræ quasi à suis domibus alia & alia fortiantur nomina. Numerus locorum topicorum ex Aristotelis mente indeterminatus quidem est, ex additione dialecticorum verò extenditur ad viginti binarium; ut *Locus definitionis, descriptionis, notationis, partium, totius, causarum, effectuum, antecedentium, consequentium, præcurrentium, concomitantium, subsistentium, similium, majorum, minorum, parium, dissimilium, oppositorum, repugnantium, aut horitatis divinae & humanae*, de singulis aliquid dicam in particulari, Et in primis

Quid sit medium Syllogismi topicus.

VI. Quid sit medium Syllogismi topicus.

Explicatis iis quæ ad Syllogismi topicum naturam declarandam necessaria videbantur, restat nunc agere de inventione mediorum, ex quibus conclusionem probabilem deducere possimus, quia dixi superius Syllogismum topicum eò maximè tendere ut facilis via & ratio inveniatur quæ de omni re probabiliter disputare valeamus, ad quod præstandum dialectici ingeniosè excogitarunt Locos diversos quos topicos, seu probabiles appellant, ex quibus argumenta defumantur ad quamcunq; propositionem propugnandam, vel impugnandam, & tale *argumentum seu medium* tum ab aliis, tum à Fonseca cap. 9. dialect. Inst. describitur ex Cicerone in part. quòd sit *probabile inventum ad faciendam fidem*, hoc est, quòd sit quoddam motivum quod movet intellectum ad assensum probabilem alicui assertioni, quamdiu contrarium non constat, verbi gratià vult aliquis probare hanc assertionem, sapiens non est invidus, assumit hoc medium, *Invidus est qui affligitur de bonis alienis, sapiens non affligitur de bonis alienis*, ergò *sapiens non est invidus*, unde ergò tale medium desumitur vocatur locus topicus, Et hunc definit Cicero in top. Quòd sit *argumenti sedes*, Aristoteles verò 2. Rhet. ad Theod. cap. ult. elementum, nam inquit citatus *Idem elementum dico & locum*, ad similitudinem elementorum quæ licet simplicia sint, sunt multorum tamen origo, sic etiam locus est plurimorum argumentorum fons & origo, Boethius verò 1. de diff. top. definit locum quod sit *id unde ad propositam questionem conveniens trahitur argumentum*, quæ omnia

videtur mihi melior, utpotè quæ clarior & magis naturam loci explicat. Itaq;

Locus sic descriptus dividitur in Locum qui dicitur *maxima*, & in locum qui dicitur *differentia maxima*, & hunc simpliciter appellant locum, primum verò sub proprio nomine maximam duntaxat vocant; *Locus maxima* est propositio per se nota, quæ cognitio terminis statim sine ulla ulteriori confirmatione approbatur, ut *Cui convenit definitio convenit definitum*, quæ maxima dicitur, quia plures sub se continet, ut verbi gratià data has omnes, cui convenit definitio invidi etiam nomen convenit, cui convenit definitio iusti etiam nomen convenit. *Locus differentia maxima est receptaculum plurimum maximarum ejusdem generis*, ut est locus à definitione, &c. quia ex hoc loco non solum hæc eruitur maxima, cui convenit definitio convenit etiam definitum, sed etiam ista cui non convenit definitio, non convenit definitum & plures alia. Dicitur autem *differentia maxima*, non quòd ipsas maximas singillatim distinguat, sed quia diversis maximarum classibus diversam tribuat appellationem, nam quæ maxima in loco definitionis reperitur, dicitur à definitione, quæ in loco autoritatis dicitur ab autoritate, sicque ceteræ quasi à suis domibus alia & alia fortiantur nomina. Numerus locorum topicorum ex Aristotelis mente indeterminatus quidem est, ex additione dialecticorum verò extenditur ad viginti binarium; ut *Locus definitionis, descriptionis, notationis, partium, totius, causarum, effectuum, antecedentium, consequentium, præcurrentium, concomitantium, subsistentium, similium, majorum, minorum, parium, dissimilium, oppositorum, repugnantium, aut horitatis divinae & humanae*, de singulis aliquid dicam in particulari, Et in primis

VII. Dividitur locus.

Ex loco Definitionis duobus potissimum modis probare posse aliquè alicui rei hoc vel illud convenire, vel non convenire, communior est sententia, quam aliqui tertium addant, videlicet, ex definitione subjecti, & prædicati ejusdem rei cui aliquid convenire vel non convenire potest, verbi gratià aliquis vult probare ex definitione dialecticæ ipsam esse utilem hoc modo, *Differendi ratio est utilis, logica est differendi ratio, ergò logica est utilis*, quæ est optima probatio ex definitione subjecti, similiter ex definitione prædicati hoc modo. *Illud quod ad bonum comparandum inseruit est utile, logica est talis, ergò logica est utilis*. Ex hoc loco definitionis oriuntur quatuor sequentes maximæ, *Quidquid convenit definitioni convenit definito, quidquid non convenit definitioni non convenit definito, Cui tribuitur definitio tribuitur definitum, & cui non tribuitur definitio nec tribuitur definitum*, primis duabus utimur eum argumentamur ex definitione subjecti, reliquis verò cum ex definitione prædicati.

VIII. Locus definitionis.

Loci Descriptionis, Idem usus qui definitionis, unde quæ de eo supra dixi solo mutato nomine huic applicari possunt, excepto hoc quòd tunc vel maximè adhibeatur, quando res defini non potest, hinc probari potest Dialecticam esse addiscendam hoc modo: *Illæ ars quæ ad ceteras scientias minit viam, est addiscenda, logica est talis, ergò logica est addiscenda*

IX. Locus descriptionis.

Locus

Locus Notationis tunc argumen-

tandi subministrat medium, quando quis ex interpretatione nominis rei naturam demonstrat, ut Rex à Regendo, dux à ducendo, Eva virago, quia de viro sumpta est, quod hinc argumentum probare potes sic, *Illud quod in formatione primi hominis de sumptum est ex viro, virago est, Eva de viro sumpta est, ergo est virago*, Notandum tamen argumentationem ex hoc loco adeo firmam non esse, quia sic posset quis probare Judam proditorem, veritatis esse confesorem, quia nomen Judas veritatis confessio interpretatur, & Simonem Magnum, obedientem, quia nomen Simon obedientiam significat, quæ prædicata tamen iniquissime illis tribuerentur, quare hic locus potius adhibendus est ex notatione & interpretatione nominum communium quam particularium, quia nomina communia plurima ex aliqua proprietate particulari ac conditione rerum quas significant, ducuntur, sic *consul à consulendo, dux à ducendo, Patronus à patrocinio, Christianus à Christo dicitur.*

Ut sciatur Quomodo ex loco Conjugatorum argumentum & medium desumi possit, notandum prius, quod Conjugata illa dicantur, quæ sub ipsa vocis ac significationis communicatione sub unum quasi jugum de vincula sunt, sic Philosophus, Philosophia, philosophari conjugata dicuntur, quia sub una nominis significatione invicem convincta sunt, hoc supposito usus hujus loci est, quidquid uni conjugatorum convenit, aut non convenit, cæteris etiam suo cuique modo convenire, vel non convenire, ut si iustitia est laudabilis, etiam iustus est laudabilis, & iuste agere est laudabile, si verò iustitia non est laudabilis, nec iustus, nec iuste agere erunt laudabilia, Dux hujus loci sunt maximæ videlicet, *cum quo coheret unum conjugatorum coherens & reliqua, cum quo non coheret unum nec reliqua; Dixi autem unum suo cuique modo convenire vel non convenire, quia non valet hoc argumentum, album est dulce, ergo albedo est dulcedo, ratio est, quia à termino concreto cui ratione subiecti prædicatum convenit ad terminum abstractum non valet consequentia, nam sensus illius propositionis est, quod affectum albedine sit affectum dulcedine.*

Locus Topicus Partium est,

quando ex partibus positis infertur dari totum, hinc probare poteris domum esse totaliter constructam & ædificatam hoc modo, *Ubi cumque est coexistentia partium est etiam totum, sed partes domus que sunt fundamenta posita, parietes erecti, tectum fabricatum, sunt sibi coexistentes, ergo & tota domus hujus loci hæ sunt maximæ, Postis omnibus partibus integrantibus ponitur totum integrale, sublata quacunaque parte integrante tollitur totum, posita quacunaque parte subiecta ponitur totum, sublatis omnibus partibus subiectivis tollitur totum, quarum primæ duæ inserviunt pro toto integrali, secundæ pro toto universali.*

Ex Loco Totius medium sumi potest

quando sit argumentatio à toto ad partes, ut si dicas, *Posito toto universali metaphysico ponitur aliqua pars subiectiva ipsius, sed animal est totum metaphysicum, respectu hominis & bruti, ergo posito F. Amandi Hermann Logica.*

animali ponitur homo vel brutum, hujus loci frequentes sunt maximæ, *Posito toto integrali ponuntur omnes partes, sublato toto integrali saltem aliqua pars tollitur, Posito toto universali ponitur aliqua pars subiectiva, sublato toto universali tolluntur omnes partes subiectivæ, primæ duæ inserviunt integrali, secundæ verò toti universali.*

Loci Causarum quatuor sunt, scilicet à causa materiali, formali, efficiente, & finali: Materia latè accepto vocabulo triplex est, *Ex qua, in qua, circa quam; Materia ex qua duplex est, una est ex qua prius transmutata fit aliquid, sic ex vino transmutato fit acetum, hinc vinum materia ex qua dicitur, altera ex qua permanente res componitur, qualiter ligna succisa sunt materia domus. Materia in qua est subiectum cuiuscunq; formæ, sic lapis est materia figuræ in sculptæ, animus scientiæ. Materia circa quam est id circa quod versatur aliqua operatio, in hac acceptione dicimus, virtutes esse materiam laudis, vitia vituperii, unde argumenta fieri possunt ex causa materiali ex qua, hoc modo: *Omne illud quod fit ex alio fit ipso transmutato prius ex materia ex qua aliquid fit, sed ex vino transmutato fit acer: m, ergo vinum est materia ex qua aliquid fit.**

Secundo ex materia in qua sic fit argumentum, *Omne illud quod est receptivum alicujus formæ est materia in qua, sed lapis est receptivus alicujus formæ artificiosæ, ergo est lapis in qua.* Ex materia denique circa quam hoc modo: *Omni homo qui versatur circa materiam laudabilem versatur circa materiam laudis, sed virtutes sunt laudabiles, ergo qui versatur circa eas versatur circa materiam laudis.*

Forma, seu Causa formalis duplex est

essentialis & accidentalis, essentialis forma est respectu totius essentialis, accidentalis respectu totius accidentalis. Ex causa formali essentiali sic formari potest argumentum, *illud est forma hominis quo primo vivimus, sentimus & intelligimus, sed talis est anima rationalis, ergo anima rationalis est forma hominis.* Ex causa formali accidentali formatur tali modo argumentum, *Omni forma accidentalis perficiens subiectum est laudanda, sed logica scientia est talis, ergo logica est laudanda.*

Causa efficiens prout hic sumitur,

triplex est procreans, conservans & interimens: Ex causa procreante fit argumentum hoc modo: *Omne procreatum sine pulmonibus respirare non potest, pisces sunt creati sine pulmonibus, ergo respirare non possunt, Ex causa conservante hoc modo fit argumentum: illud animal vivit diutius in quo est melior proportio humiditatis & caliditatis, sed in homine est talis melior proportio, ergo homo vivit diutius quam animalia in quibus talis proportio non est.* Ex causa efficienti interimente sic argumentatur: *Omne regnum quod in se est divisum dissolvetur, sed in venit tale regnum quod est in se divisum, ergo illud dissolvetur.*

Causa Finalis Est triplex, Prima est

Cui in gratiam aliquid fit, secunda cuius gratia fit, tertia propter quem aliquid fit, sic Deus est causa finalis Cui, cuius & propter quem, hinc primò ex fine Cui, sic argumentaberis, *illi fini debetur honor & gloria qui est ens excellentissimus & supremus, sed Deus est talis, ergo &c.* Ex fine Cuius sic, *illud ens est maximè honorandum ex cuius nutu pendunt omnia.*

XIV.
Locus cause
sarisum.

XV.
Locus cause
formalis.

XVI.
Locus cause
efficientis.

XVII.
Locus cause
finalis.

XI.

XII.

XIII.

omnia, sed ex nitu Dei omnia pendent, ergo Deus est maxime honorandus. Ex fine denique propter quem taliter: Ad illum finem referenda sunt omnia propter quem facta sunt omnia, sed propter Deum facta sunt omnia, ergo omnia ad illum sunt referenda. Ex locis causarum sequentes deducuntur maxime: Positum a causa (sub intellige quacunq;) ponitur effectus, sublatum a causa tollitur effectus, intellige si utraq; sic simul aut non fit, Positum bona vel mala causa ponitur bonum vel malum effectus, sublatum bona vel mala causa tollitur bonum vel malum effectus.

XVIII.
Locus effectuum.

Ufus Locorum Ab Effectibus

ad causas est idem ac causarum ad effectus, nimirum ex effectibus materiae, formae, efficientis & finalis. Ab effectu materiali sic concludi potest: Omne quod interire potest constat materia, homo interire potest, ergo constat materia; Ab effectu formae hoc modo concluditur: In quo datur motus sensitivus datur & causa sensitiva, sed in verme sese ex punctura contrahente datur motus sensitivus, ergo & causa sensitiva: Ex effectu efficientis sic arguitur. Productio creaturae ex nihilo arguit potentiam infinitam in producente, sed Deus produxit creaturas ex nihilo, ergo. Ex effectu finis hoc modo, Omnis princeps qui parat arma, congregat exercitum, cogitat bellum, sed Turca parat arma, congregat exercitum, ergo Turca cogitat bellum.

XIX.
Locus antecedentium & consequentium.

In loco Antecedentium & Consequentium

per Antecedentia & consequentia intelligo res quae necessario antecedunt vel sequuntur aliquid in quaestione positum, ut si quaestio sit utrum sit aliqua virtus homini naturalis nec ne? poterit quis probare ex antecedente virtutis hoc modo, Iustitia est homini naturalis, sed iustitia est virtus, ergo aliqua virtus est homini naturalis, ubi iustitia respectu virtutis est antecedens, quia virtus de illa necessario praedicatur: Ex consequenti hoc modo arguitur, Omne quod rationi consentaneum est homini naturale, aliqua virtus est rationi consentanea, ergo aliqua virtus est homini naturalis, hujus loci duae sunt maxime, Prima, Positio antecedente necesse est poni consequens, sublato consequente necesse est tollatur antecedens. Ex dictis tamen intelligas velim quod hic non sumatur pro antecedente & consequente quae partes sunt argumentationis, alioquin quaelibet argumentatio esset ex loco antecedentium & consequentium.

XX.
Locus Circumstantiarum.

Locus Circumstantiarum est

quo ex adjunctis fit argumentatio, adjuncta autem sunt quae de rei quidditate quidem non sunt, eam tamen circumstant & adherent, licet non necessario. Aliae autem sunt praecurrentium, aliae concomitantium, aliae denique subsequentium, verbi gratia In Cajo praecedit natalis dies, nobilitas majorum, educatio, &c. concomitantur locus, tempus, occasio, socii &c. subsequentur divitiae, vel infamia, exhaustum patrimonium &c. quae omnia comprehendit haec maxima, Qualia sunt circumstantia talem verisimile est esse rem quam circumstant. Ex praecurrentibus sic Argumentum fieri potest, In omni Republica ubi est animorum dissensio necesse est sequi rebellionem contra Principem, in Anglia est animorum dissensio, ergo necesse est &c. Ex concomitantibus sic arguitur secundum Aristotelem in Physiognomia, Ille est homo magnanimus qui habet quadratam & moderatam frontem,

sed Cajus habet quadratam & moderatam frontem, ergo Cajus est magnanimus: Ex subsequentibus, Homines qui conversionem suam differant sequitur ira Dei, sed Cajus differt conversionem, ergo Cajum sequitur ira Dei.

XXI.
Locus similitudinum.

Locus Similium, licet non semper quatuor currat pedibus, vel ad contra arguendum, tamen utilisissimus est & aptatissimus. Per similia hic intelligo ea quae licet non omnimode saltem in aliquo conveniunt, ad minus aliquam proportionem dicunt ad se invicem, sic duo alba dicuntur sibi omnimode similia, oculus mentis & oculus corporeus dicuntur sibi proportionate similia, unde argumentum a proportionatis, Corpus regitur oculis corporeis, ergo animus oculis mentis gubernandus est, Hujus loci maxima praecipua est: Quod in uno similitum valet, valet & in ceteris

XXII.
Locus dissimilium.

Locus Dissimilium Est quando fit argumentatio ab iis quae nullo modo conveniunt, nec etiam aliquam habent proportionem: hujus loci maxima est, Dissimilibus dissimilia conveniunt, & quod uni dissimilium quae dissimile est convenit, non convenit alteri, unde argumentum, Iustus quae iustus laudandus est, ergo in justus quae alius reprehendendus est.

XXIII.
Locus parium.

Ex loco a pari fit argumentatio, quando quis ex uno arguit ad aliud propter parem utriusq; rationem, ut si quis sic argueret, interfectio Patrii iuste pena mortis damnatur, ergo interfectio Matris pariter morte est puniendus: Abstinentia est virtus laudabilis, ergo & Continentia.

XXIV.
Locus majorum.

Ex loco majorum fit Argumentatio ab iis quae majorem habent probabilitatem ad illud inferendum a fortiori quae minorem, ut si Mazaganum a Centum millibus non fuit expugnatum nec expugnabitur a viginti millibus, unde maxima, si id quod verisimile est non est verum, nec id erit quod est minus verisimile, tota autem haec argumentatio est semper negativa.

XXV.
Locus minorum.

Ex loco minorum fit argumentatio tunc, quando aliquis progreditur ab eo quod videtur minorem habere probabilitatem ad id quod videtur habere majorem, hinc oritur maxima si id quod minus verisimile est, id etiam erit quod magis verisimile videtur. Exemplum sit, si parva saepe classis Turcarum impetum fregit, ergo & validus exercitus frangere poterit. Hujus loci e contra ad superiorem argumentatio tota est positiva.

XXVI.
Locus oppositorum.

Ex Loco Oppositorum, arguitur ex iis quae sibi invicem opponuntur, Quae sibi autem invicem opponuntur, aut ad se mutuo referuntur ut Dominus & servus, aut contraria sibi sunt, ut virtus & vitium, aut privative opposita sunt, ut visus & caecitas, aut sunt contradictoria, ut album & non album, hinc argumentum, ut aliquis homo est virtuosus, ergo aliquis homo non est vitiosus, Petrus est Pater Pauli, ergo non est ejusdem filius: Hujus loci maxima est: De quocunq; affirmatur alterum oppositorum, de illo negatur alterum. Huic loco affirmis est locus Repugnantium quae de eadem re simul affirmari non possunt, unde argumentum Quod video & tangor corpus est, ergo non est spiritus.

XXVII.
Locus ex auctoritate.

Ab Auctoritate denique divina fit argumentum hoc modo, Quicquid Deus revelavit est

est verum, sed Deus revelavit justos esse salvandos, ergo id est verum. Ab autoritate humana tale sic argumentum, Doctor subtilis Scotus docuit Beatam Virginem sine labe conceptam, ergo apud Scotistas id ex autoritate humana verum est. Et haec sufficiant de locis, usus copiosiores argumentandi subministrabit fluvios, hi sunt tamen fontes.

QUAESTIO VII.

De Syllogismo Sophistico.

Jam inolevit communiter apud solemniore Auctores nihil de hac materia tractare eò quod plus pernicii quam utilitatis adferre videtur, attamen licet hifce diu immorari magis perniciosum esse possit quam utile, cam materiam tamen totam impertractatam omittere non minoris erit dispendii, vulgatum etenim illud verum est: malum quod ignoratur vitari non potest, hinc non fallendum alios, sed ad evitandas aliorum fallacias breviter aliquid dicam, sicut cum describendo ad quaestionem praesentem resolutivè.

I. Dico syllogismus Sophisticus est syllogismus deceptorius ex apparentibus concludens errorem, quae tamen verae non sunt. Ita Maffrius & communior. Dicitur syllogismus in quo convenit cum demonstrativo & deceptorio; Dicitur ex apparentibus &c. nam ut aliquid concludat debet habere tales praemissas quae aliquomodo appareant verae quae tamen in se non sunt; Dicitur deniq; concludens errorem, nam sicut demonstrativi effectus est scientia, topici opinio, ita hujus effectus, imò finis est error, hoc namq; intendunt Sophistae ut alium decipiant & errorem ei inducant, aut fallitatem, ita ut etiam ab Aristotele alio nomine contentiosius appellentur quippe qui non adhibentur tantum ad ostendendam sapientiam, sed etiam ut cum contentione ab alio victoria quodam modo extorqueatur. Triplex autem est genus horum Syllogismorum, Primum est eorum qui solum ratione materiae peccant, ut si dicas: Quidquid non omisisti habes, centum aureos non omisisti, ergo centum aureos habes, in quo solum peccatur in materia quae probabilis videtur cum tamen non sit. Secundum est eorum qui peccant in sola forma, unde concludere videntur qui tamen non concludunt, ut si dicas: Veritas odium parit, quoddam mendacium parit odium, ergo quoddam mendacium est veritas. Tertium deniq; est eorum qui tum ex parte materiae, tum ex parte formae peccant, ut aliquid quod non amissisti habes, cornua non amissisti, ergo cornua habes.

III. Porro Quemadmodum Syllogismus topicus certos locos habet ex quibus assumit media & argumenta ad inferendam conclusionem probabilem, ita pariter Syllogismus Sophisticus certos fontes habet veluti locos ex quibus Sophistae suas assumunt fallacias & captiones, suntque numero tredecim, sex in verbis, & septem in rebus, in verbis sunt sequentes captiones & fallaciae, videlicet equivocationis, amphibologiae, compositionis, divisionis, accentus & figurae dictionis; In rebus sunt istae ejus quod simpliciter dicitur & secundum quid, ignorantiae Elenchi, consequentis, peritiois principii, Non cause ut cause, & plurium interrogationum ut unius. De quibus omnibus aliquid in particulari dicam. Itaq;

F. Amandi Hermann Logica.

Fallacia seu Captio Equivocationis est locus aptus ad decipiendum ex equivocatione vocabuli, tripliciter autem hoc fieri potest, primo, si major extremitas aequivoce sumatur, secundo si minor & tertio si medium, ita ut in propositione aliter accipiatur quam in altera, exemplum primi sit hoc; Grammatici discunt, grammatici sunt docti, ergo qui docti sunt discunt, ubi in majori discere accipitur pro eò quod idem est ac intelligunt quae proferuntur, in consequentia verò accipitur pro eo quod est acquirere scientiam; exemplum secundi; Qui surgebat stat, sedens surgebat, ergo sedens stat, ubi participium sedens in minori accipitur disjunctim pro eo qui sedebat, in conclusione verò pro eò duntaxat qui sedet, exemplum tertii, Quaecumq; expediunt, bona sunt, mala expediunt, ergo mala bona sunt, ubi expedientia semel accipitur pro eo quod simpliciter honestum, altera vice in minori scilicet pro eo quod causa majoris mali vitandi facere cogimur, qualiter dici solet expedire ut manus abscondatur quam quòd totum corpus pereat.

IV. Equivocatio tripliciter fieri potest.

Fallacia Ambiguitatis, seu amphibologiae, est locus aptus ad decipiendum, est multiplici sensu Orationis, unde ab equivocatione distinguitur quòd ista sit in tota Oratione, illa verò fuerit in aliquo termino, Exemplum sit: Quidquid est Aristotelis possidetur ab ipso, haec Logica est Aristotelis, ergo possidetur ab ipso, Quòd quis videt hoc videt, lapidem tu vides, ergo lapis videt, ubi in primo sophismate ly Aristotelis est, duplicem habet sensum, in majori quasi quòd sit Dominus ejus libri, in minori verò, quod Logica sit edita ab eo; in secundo verò ambiguum est ly hoc videt utrum illud proferens intendat significari illud à vidente videri, vel visum videndi facultate praeditum esse.

V. fallacia amphibologiae.

Fallacia Compositionis, est locus aptus ad decipiendum ex apparentia orta ex falso sensu compositionis, ut hic, non est in conveniens quòd sedens ambulet, sed sedens potest dormire, ergo dormiens potest ambulare, ubi consequentia falsa propter sensum compositum.

VI. Compositio nis fallaciae.

Fallacia Divisionis est locus aptus ad decipiendum ex apparentia orta ex sensu diviso eorum quae tamen uniri deberent, ut est hoc sophisma, sedens non potest stare, Petrus est sedens, ergo Petrus non potest stare, conclusio erit falsa in sensu diviso, nec in illo sensu sequitur ex praemissis.

VII. Divisionis.

Fallacia accentus est Locus aptus ad decipiendum propter varietatem accentus, hoc est propter alium & alium pronuntiandi modum, & hoc modo quinque contingere potest, vel quando alius & alius in dictione est accentus, gravis, vel acutus, unde sophisma, quisquis lepores venatur indiget canibus, sed Cajus inter epulas & convivium venatur lepores, ergo indiget canibus; ubi alius & alius accentus est in lepore & lepore, adeoq; aliam & aliam facit significationem, in majori enim significatur quarry animalia timida & aurita, in minori verò significat discurrendi suavitatem; secundò fit quando accipitur pro diversa quantitate syllabarum, unde est hoc sophisma, quidquid edis devoras, sed librum edis, ergo devoras, ubi edis in prima propositione priorem habet bre-

VIII. fallacia accentus quinque contingere potest.

vem, significatq; quod comedis, in minori verò est longa & significat dare in lucem aliquem librum, hoc genus parum aut nihil à priori differt. *tertio fit secundum diversam aspirationem, unde est sophisma, quidquid hamatur hamo capitur, Deus amatur, ergo Deus hamo capitur, ubi hamatur cum aspiratione in majori, in minori verò sine aspiratione, & talia sophismata texti possunt in omnibus verbis & vocabulis similibus præter aspirationem ut omni homini, abeo habeo &c. quarto, quando diversimodè proferuntur syllabæ, conjunctæ ubi deberent pronuntiarî separatæ, & separatæ ubi deberent efferrî conjunctæ, Omnis via publica proteritur jumentorum pedibus, omnis via quædam res est publica, ergò res publica proteritur jumentorum pedibus, & Quidquid Deus fecit invitè coactè fecit, sed fecit vinum in vitè ergò coactè fecit, & hoc genus ad fallaciam divisionis, vel compositionis referri potest, quinto deniq; fit propter diversitatem propositionis ironicæ ac seriæ, interrogatoriæ & assertoriæ, unde fiunt hæc sophismata, Qui te dicit egregiè Respondisse collaudat te, Præceptor cum te reprehendit dicit te egregiè respondisse, ergò cum te reprehendit collaudat te; & qui te dicit audisse sacrum asserit te sacrum audisse, qui autem interrogat te an sacrum audieris? dicit te sacrum audisse, ergò qui te interrogat an sacrum audieris, dicit te sacrum audisse, in priori sophismate eadem propositio modò seriè modò ironicè proferitur, in posteriori verò semel nunc assertoriè, nunc more interrogantis.*

IX

fallacia figuræ dictionis fit tripliciter.

Fallacia Figuræ Dictionis Est

locus aptus ad decipiendum propter similitudinem dictionum, ex qua arguitur quòd aliquid comperat uni ex illis id quoq; debere competere alteri, & hoc fit tripliciter; primo ob similem definitiam vocabulorum, ut verbi gratiâ Musa est generis feminini quia definit in A, sed poeta quoq; definit in A, ergò est etiam generis feminini; secundo fit argumentatio à termino significante substantivè, ad terminum significantem adjectivè, seu per modum accidentis ut: Quidquid heri emisisti hodiè comedisti, pullum crudum emisisti, ergò crudum comedisti; quemcumq; hominem heri vidisti vides hodiè, sanum vidisti heri, ergò & sanum vides hodiè, in quibus peccatur ex eò quòd fiat transitus à termino significante substantivè ad terminum significantem adjectivè, unde primum sophisma pro majori deberet ponere, quaecumq; heri emisisti tale comedisti, & sic falsa esset, in posteriori verò, qualem poni deberet, & sic paritèr major falsa esset. *tertio deniq; fit, quando dictio quæ convenit superiori ut abstrahit ab inferioribus, infertur etiam convenire inferiori, aut e contra, exempli gratia, homo est species, Petrus est homo, ergò Petrus est species. Hæc de fallaciis in dictione, nunc ad fallacias progredior explicandas quæ sunt in rebus & extra dictionem, quarum prima est*

X.

fallacia accidentis.

Fallacia Accidentis, Est locus

aptus ad decipiendum ex convenientia aliquorum in aliqua ratione ob quam arguitur, id quod convenit uni, convenire alteri, aut e contra, ut contingit in his exemplis, homo est animal, animal est genus, ergò homo est genus; &, Risibile est animal, animal non est proprium hominû, ergò nec risibile,

Fallacia Eju quòd simpliciter est & non secundum quid, est locus aptus ad decipiendum ex eò quod arguitur ab eò quod est simpliciter tale ad illud, quod est secundum quid tale, aut e contra, ut contingit in his exemplis, homo est animal, ergò homo pictus est animal, ashiops est albus secundum dentes, ergò est albus.

Fallacia Ignoratiõis Elenchi, est locus aptus ad decipiendum, ex eò quod appareat contradictorium inferri cum tamen non inferatur in rei veritate, verbi gratiâ Petrus dormit de nocte & non dormit de die, ergò dormit & non dormit, ubi non est contradictio in Syllogismo, nam contradictio debet esse non solum respectu ejusdem, sed etiam pro eodem tempore.

Fallacia Petitionis principii, est locus idoneus ad decipiendum tunc, quando idem per idem probatur, aut clarum per magis obscurum, verbi gratiâ si quis probet hominem esse hominem quia homo est, aut esse hominem quia vivens est, ubi ignorant, tam animal quam vivens æq; obscura sunt.

Fallacia Consequentis, est locus idoneus ad decipiendum ex eò quod antecedens videtur effici ex consequenti, aut ex opposito antecedenti oppositum consequentis, hinc oriuntur sequentia sophismata si paulò ante pluit terra madefacta, ergò si terra madefacta est paulò ante pluit; si animus hominis genitus est incipit esse, ergò si non est genitus non capit esse, huc pertinet sophisma illud, Qui te dicit animal, dicit verum, qui te dicit equum dicit te animal esse, ergò dicit verum, quia paulò mutatis propositionibus hunc facit sensum, Si tu es equus es animal, sed es animal, ergò es equus.

Fallacia Non Cause ut cause, Est locus aptus ad decipiendum, ex eò quod absurditas aut falsitas conclusionis adscribitur alicui propositioni quasi ex ea efficiatur, ex qua tamen revera non efficitur, unde hic accipitur causa pro causa etiam illationis, talis est hic discursus, arma attulerunt perniciem Reip. ergò non sunt toleranda; homines avari causa lucranda pecunia omnia jura violant, ergò pecunia non est permitenda, cum tamen nec arma, nec pecunia, causæ sunt horum malorum, sed malus usus eorum qui à malis maxime exercetur.

Fallacia Plurium Interrogationum

ut unius est locus aptus ad decipiendum eò, quòd plures interrogationes ut una duntaxat proponuntur, quibus si simplex responsio datur, seu affirmativa sit, seu negativa, respondens capi potest exempli causa si quis interroget an Petrus sit rationalis & irrationalis, si dicas non, statim interrogans inferet, ergò Petrus est irrationalis, si dicas asserendo pariter hoc inferet, sed hoc genus parum aut nil valet, nam facile solvitur respondèdo determinatè assumpta hac vel illa propositione, & mente sua explicatà sicut etiam omnia alia sophismata solvuntur, vel negatione, vel explicatione, aut distinctione. Et hæc sufficiant pro prima parte, si quis futurum tractatum appetierit, consulat aucthores.

LOGICA.